VICENTINI.

APHOR: CHYM:

1619. 20

BILLICHII

RESP:

A. SALÆ APHOR:

1622.

ISAACI.

OPERA

MINERALIA.

1600.







[illegible] M.D.

177[illegible]

AD ANIMADVERSIONES,

Quas

Anonymus quidam

IN

ANGELI SALÆ

Aphorismos Chymiatricos conscripsit:

ANTONI GVNTHERI Billichij Frisij

RESPONSIO.



LVGDVNI BATAVORVM,
Excudebat
GODEFRIDVS BASSON,

ANNO M DC XXII.

Clarissimo ac Experientissimo Viro,

DN. ANGELO SALAE VICENTINO VENETO,

Chymiatro famosissimo, Fautori & Amico suo perpetim honorando:

SAL. & OFFICIA.



Clarissime Vir, Non ita pridem nactus sum Animadversiones, quas in Aphorismos tuos Chymiatricos consarcinavit nasutulus quidam aculeo: quas, ut audio, suppresso suo nomine, hinc inde, etiam in Academiis, spargit. Scilicet aperto Marte tecum minimè congredi ausus, per cuniculos oppugnare tentavit tum Aphorismos tuos, tum in iis existimationem tuam, ac laudem, quam apud doctum & Chymiatriæ studiosum quemque illi tibi pepererant. Ideo, ut timidus canis latrat ac fugit. Ego cum Animadversiones illas accuratius examinassem, deprehendi in iis solidi nihil, rationis ac experientiæ parùm, verborum

 multum,

multum, ſtudio contradicendi inſtructa apparataque omnia. Cur ita ſtatuam: Scripto hoc breviter diludèque explicavi. Quod tuo nomini inſcribere & volui & debui. Volui, propter obſervantiam in te meam: Debui: tum propter beneficia, quibus me tibi totum obſtrinxiſti; tum propter ipſam Artem, in quâ me fideliter candideque inſtituiſti.

Tu vero, Clariſſime Sala, hanc grati officioſique animi ſignificationem æqui bonique conſule, meque tui obſervantiſſimum amare numquam deſine, cum primis Chymiatriæ ſtudia, uti cœpiſti, ita deinceps ſtrenuè promovere perge, tam publici boni cupidus, quàm negligens malitioſæ reprehenſionis. Vale. Dabam Jeveræ 30. Martij ANNO M DC XXII.

T. Humanit.

Officioſiſſ. & obſervantiſſ.

ANTON. GYNTHER BILLICH.



PRÆFATIO
AD
ANONYMVM.



NGELI SALÆ Aphorismos Chymiatricos, non potuisti tu tam avidè arripere, quisquis es, Anonyme Censor, quam oppositas Animadversiones tuas, exceperint, quotquot sunt illius cheiragogiâ ad Artis Spagyricæ cognitionem usi: utpote ex quibus hunc pro se quisque fructum percipere putaret, uti vel meliora docerentur, vel si hoc fieri non posset, saltem in ijs, quæ ex Salæ institutione rectè hauserant, magis magisque confirmarentur. Me certè inter alios ita affecerunt, ut de ipsorum Aphorismorum veritate non leviter in quibusdam dubitare inciperem, tametsi satis eam mihi tum vivâ Experientiâ tum firmis demonstrationibus Sala comprobasset. Tam enim ingeniosè tam acutè de quibusdam disputas, tam graviter serio-

que nonnulla convellere allaboras, ut in tuam ſententiam facilè pertrahas, etiam invitum quemque, certe animi dubium facias, utri ſuum adſenſum largiatur: Tibi, an Salæ? Neque vero deeſt autocheirias accuratiſſima excercitatio, per quam rerum multarum earumque abſtruſiſſimarum ſcientiam minime vulgarem ac invidendam longo uſu videris eruiſſe, quâ ipſâ judiciorum aciem non leviter hebetes ac præſtringas. Verum enim vero, ut quod res eſt fatear, poſtquam ſingula inter ſe ſollicitè contuliſſem, ſubductis rationibus omnibus, viſus mihi oppugnare quidem Salam, nequaquám expugnare: quin imò contradicendi ſtudio ſæpiculè plus nimis abripi, ut aliquid dixiſſe videare, etiam, quum nihil dixeris, ſive me ita ſtatuere cogat ingenij mei imbecillitas rationum tuarum ſubtilitatem non ſatis adſequentis; ſive potius ipſius veritatis ea vis ſit, ut ſemel animo concepta tam altas deinceps radices agat, nulla ut in contrarium machinatione contentiosâ ſeſe patiatur evelli. Itaque in illas ipſas Animadverſiones tuas hanc ſum reſponſionem meditatus, quam ut æquo animo feras, nolo à te operoſius petere, neque etiam facti hujus mei cauſſas prolixè commemorare, quum exiſtimem, idem illud mihi in tua Scripta philoſophicæ liber-

tatis jus esse, quod tu, quum Aphorismos Salæ invaderes, tibi usurpasti, & eodem in facto eandem seu veniam à placidioribus arbitris, seu culpam à severioribus utrumque nostrum reportare. Tuæ Humanitatis fuerit, ignoscere ultrò, quum videas, hæc quæ tumultuariò exaravi à tua illa elegantia esse aliena: ut quæ non in lyceo, uti tua fortè, nata sint, sed in rure, in quo procul à conversatione philosophicâ semotus, meliorem vitæ partem prodigo. Non mihi propositum, omnia minima maxima, quæ Animadversionem mereantur ex hisce tuis Animadversionibus studiosè colligere, & minutatim persequi: id enim nec operæ precium sit, nec exigui laboris: sed ipsa solummodo fundamenta indicare, quibus cum Aphorismorum veritas defendatur, tum argumentorum tuorum nodi dissolvantur. Quamobrem rem ipsam statim aggrediar, ab ipsis orsus tecum Instrumentis Spagyricis.

I. DUO INSTRUMENTA CHYMICA.

DUo Operationum Chymicarum Instrumenta principalia constituit Sala: *Ignem* ac *Menstruum*. Tu hæc minimè sufficere arbitraris, quia detur aliud terti-

um, Aër videlicet, quippe in quo frigido Olea per Deliquium dicta consiant, Chrystalli quin etiam ex Succis Herbarum in Cellá concrescant, cujus denique ope Sales Tartari Herbarumque solvantur. Ego vero veluti Oleorum, quæ per Deliquium vocant, Salium item resolutionem Aëris humiditati, quàm frigiditati acceptam referre malo, quum frigoris potius sit condensare, coagulare, incrassare & constipare; id quod in dicta Chrystallorum conglaciatione animadvertere ipse potuisti: Ita non existimo, tantam te infantiam tribuere Salæ velle, ut Aëris vim atque usum in Chymià minime agnosceret. Agnovit certè, ut vel ex solâ *sect. 1. Aph. 33. 36. 42. 46. 47.* videre tibi licet. Verum quod Aërem Chymiæ Instrumentis minime accensuerit, caussa est, quod is caussæ Instrumentalis rationem minimè obtineat, quoniam non est in potestate Agentis primarij, seu Artificis: Quanam ergo ratione, quod Instrumentum per se non est, numerasset in Instrumentis? Quamquam si quid absurdi est, statuere, eundem Aërem, quatenus circa Salia constipatus est, ac aquescit, atque ita eadem quoque diffluere facit, Menstrui loco esse: Si inquam hoc absurdum est, quomodo tute ipsum ab absurditate liberabis, Menstruum illud insipidum

insipidum tuum, quo solvi Metalla *Animadv. quintâ* gloriaris, nihil aliud quam *Aërem concretum* esse professus? *Aër* ergo tua ipsius sententiâ Menstruum est, quod quum tu tamquam insolens in Sala reprehendis, oblitus tui, temetipsum in eo unâ operâ redarguis. Frustrâ itaque times, Menstrui definitionem latius à Sala extendi: quam tu vide ne arctioribus, quam par sit, terminis cum *Begmno*, ex cujus *lib. 1. cap. 4.* eam exscripsisti, coerceas: *Menstruum*, inquis, *est omnis liquor, rerum extractioni serviens:* Itane Extractioni? cur ni & solutioni? Dic sodes, quando corpora in liquoribus secundum se tota solvuntur: e. g. Sol in Aquâ Chrysulcâ; Luna in Aquâ Forti; Sales in Aquâ simplice, vel, quando tu tuum Talcum ita dissolvis, ut ne atomon quidem ejus remaneat, quod gloriaris *animadv. 16.* Dic, inquam, quænam tum fiat Extractio? Nulla profectô; sed Corporis Solaris totius, Lunæ totius, Salium item Talcique Totorum dissolutio: Neque tamen propterea Aqua vel Chrysulca, vel fortis, vel simplex, vel liquor ille tuus, si quis talis est, Menstrua esse desinunt.

II. DE IGNI.

APhorismo 14. ſcripſerat Sala: *Ignem non poſſe rei ſuâ naturâ ſiccæ & aridæ formam dare liquidam & aquoſam:* Hujus enunciati veritatem oppugnas primum eo, quod Arena & Cineres fundantur in igne in humidam vitri formam, ideoque tum liquidâ formâ donentur. Si heri aut nudius tertius ad Spagyrices Exercitationem acceſſiſſet Sala, feriret eum fors frivola hæc inſtantia. Tu ſi rectâ ratione rem voluiſſes arbitrari, potuiſſes nullo negocio prima ſtatim fronte adſequi, qualem is formam liquidam intelligat, ſtabilem videlicet ac permanentem, non fugacem iſthanc & momentaneam, qualem in fuſione res adquirunt, nec niſi in igne fuſorio retinent, à quo ſimulatque remotæ ſunt formam illam priſtinam recuperant, liquidâ depoſitâ. Inſtas porro, & famoſiſſimi nominis Chymicum ais ex Cineribus & Arenâ Aquam & Oleum ediſtillare, ſicciſſimos etiam ſilices moderato ignis calore in aquam transformare. Nugæ! Mirum verò, niſi is quoque funes ex eâdem arenâ nectat! Explica mihi hoc monſtroſum, quomodo Arenam & Cineres dicere poſſis, eſſe res ſuâ natura ſiccas & aridas, omnique humore orbatas, & tamen unà affirmare,

ex ijſdem Oleum & Aquam ediſtillari? *Animadv. 19.* Principium hoc inculcas: Quod rei non inſit, id rem de ſuo largiri minimè poſſe: Hic verò fateris: humorem Arenæ & Cineribus non ineſſe: quia eo ſint orbata: Conſtrue jam Syllogiſmum, ut videas, quomodo tibi ipſi in os contradicas. Idem judicium de propinquâ lapidis tui divini materiâ; de quâ quando nugari incipis, facis profectò, ut me tui miſereat, in re uſque adeò nihili & fabulosâ cauſſæ tuæ præſidium aliquod collocantis.

III. MENSTRVA INSIPIDA.

VTi Animadverſionis tuæ tertiæ futilitatem agnoſcas, operæ precium fecero, ſi *Aphoriſ. 18.* plenius aliquanto repetam. Dicebat inibi Sala, liquores inſipidos & aquoſos diſſolvere Vegetabilia, Subſtantiaſque Animalium vel per decoctionem vel per infuſionem: Subjungebat, nolle ſe hoc ita accipi, quaſi etiam ſubſtantias rerum Sulphureas elicere poſſint: Nec enim Aquæ cum Oleo adfinitatem intercedere. Hic quivis videt, loqui eum de viribus, quas in diſſolvendo obtineant Menſtrua Inſipida: Nempe diſſolvi quidem ab his ſubſtantias aqueæ & ſalinæ naturæ: nequaquam Sulphureas ſeu Reſinoſas. Ideo-

que

que τὸ ELICERE, ex ijs quidem verbis, quæ satis evidenter præcedebant, restringendum erat ad certum illum eliciendi sive modum sive actum, qui fit interventu Dissolutionis, & in extractione specialiter dictâ, usuvenit Dissolutio illa nihil aliud est, quam liquoris dissolventis, ac rei dissolvendæ per totum liquorem illum æqualiter diffusæ ac permixtæ stabilis unio. In hanc unionem coire non possunt Menstrua Aquea cum Substantijs Sulphureis ac Resinosis. Docebat hoc Exemplo satis vulgari Aquæ, quæ nullo modo dissolvere Oleum potest, ut in unum coalescant, quandoquidem hoc illi perpetuò supernatat, ideoque quoad mixtionem sive unionem nulla ipsis adfinitas intercedit. *Nihil* enim *pingue ab aquis excipitur, sed respuitur* ait *Scaliger Exercit: 93.* Interim vero non ignorabat Sala, uti Olea Thymi, Lavendulæ, Anisi, &c. destilles, frigidam suffundi oportere, quin imo *Aph. 30 s. 1* disertis verbis idem prodidit. Sed, ut dixi, aliud est, elicere interventu Dissolutionis, aliud, Distillationis. Hisce ita constitutis, quanti futura sit objectio tua liquet. Cœterùm, quod Oleum igneæ naturæ esse dixit, respexit ad qualitates tum calefacientem tum exsiccantem, quâ utrâque Olea pollent, tametsi alia alijs magis vel minus.

IV. MI-

IV. METALLA *in* LIQVOREM *conversa, an maneant simplicia?*

APhorismo 20. hæc habetur sententia: *Metalla simul ac liquidam formam sunt adepta, simplicia esse desinunt, neque absque adjectione solventium in hisce formis existunt.*

Objicis primo *Mercurium*, quem absque mixtione ullius rei in purissimum ac limpidissimum liquorem redegeris. 2. *Ferrum*, quod in Vitriolum mox in crocum redactum de facili liquidum fieri possit, inque Oleum mutari loco frigidiusculo. 3. *Jovem Anglicum*, quem identidem redegeris in liquorem udum ac currentem. Vbi mirari subit, quare non fusionem quoque Metallorum tamquam quartum idque Achilléum argumentum nobis obtendas. Vidisti forte per eam simpliciter ac per se liquescere Metalla, & supra eam vocabas ad partes, ubi alijs præsidijs mala tua caussa destituebatur, posses forte fortuna hic quoque non parùm negocij nobis illa ipsâ facessere: sed ad rem.

Ad primum ergo responderi poterat, quod Mercurius etiam per se ac suapte natura liquidus sit, nec propriè Metallum, sed ex vulgari Chymicorum opinione pars essentialis

essentialis seu constitutiva Metallorum: ideoque eo ipso ab hoc aphorismo excludatur. Verùm tamen ut, quod res est dicam, ego suaviter rideo utrumque tuum Experimentum tum illud de Mercurio, tum alterum de Iove Anglico, quem risum si tu mihi nuda tua & febriculosâ assertione compescere coneris, nihilo plus egeris, quam si vel corvum te dealbasse vel nivem denigrasse glorieris. Quod Martis Vitriolum vel Crocum in frigido resolutum adtinet, miror equidem interrogationem tuam: Anne enim nesciebas tu, experientissime Spagyre, Martem in hisce formis omnibus subsistere merito *Spiritus Sulphuris*? Si nescis, tum numquam te Vitriolum Martis artificiale fecisse; vel si fecisti, quid faceres, ignorasse ultrò fateris. Claudat hanc Exercitationem hæc observatiuncula, tametsi, quod mirum sit, à tam perspicaci Censore non animadversa, quod nescio, qua vel fortunâ, vel incuriâ, perperàm certè & præter mentem Salæ in *Aph.* hunc 20. CONCHYLIA irrepserint. Constat enim, ignis vi ex istis eliquari aliquantillum tum aquæ tum olei: idque expressissimè etiam Sala scripsit *Aph.* 40.

V. ME-

V. METALLA *num solvi possint in Liquore insipido?*

NImis licentiosè tibi videtur *Aph. 23.* vim solvendi metalla omnibus indiscriminatim liquoribus insipidis denegare: Tu verò mihi multo calamitosius eumdem impugnare. Quid aurificum auctoritatem Salæ tamquam Medusæ caput obvertis, quam non pluris is facit, quàm fulmen de pelvi? De liquore vero tuo insipido, quæ magnificè & pomposè gloriaris, meræ sunt splendidæque nugæ & futiles affaniæ. Si enim, ut ais, nihil aliud est, quam Aër concretus, dic, quæso, quid in solvendo potentior sit ipsa Aqua simplice?

VI. *De* MENSTRVIS CORROSIVIS, *quibus solvuntur Metalla.*

QVæ porrò non sine supercilio monere pergis, puerilia sunt. Modum utendi intra corpus Corrosiva, etiam te tacente, novit Sala. Noli timere, ne is sit exiguæ frontis: tamtum propriæ tuæ in hisce alijsque animadversionibus parce. Corrosivorum naturam ac differentias *Aphoris. 22.* in genere Sala proposuerat:

Aphoris.

Aphorif. verò *feq.* eos redarguebat, qui omnibus omninò Corrofivis, promifcuè & indifferenter dicam fcribunt. Quid ad hæc objectio illa tua de modo Corrofiva internè adminiftrandi? Quid ille de blando & infipido Metallorum Solvente repetitus tuus Coccyfmus? Nimirum, quod Afinus ad Lyram. Illud tantùm rectè facis, quod ***Aurum Potabile Francifci Antonij Londinenfis*** exiftimas non confieri nifi merito Corrofivi: quâ de re infra fuo loco quædam afpergemus. Hic verò ultimo loco ridebimus, quod liquorem illum tuum folventem, fatearis effe infipidum, & tamen unà intimo gremio vim fovere corrofivam aias. Erit igitur infipidus, fimulque non erit infipidus. Erit aër concretus, fimulque non erit aër concretus: Contradictio duplex.

VII. SACCHARUM *à Spiritu vini folutum.*

ANimadverfio tua feptima, quia inter aurigas veftrates tibi nata eft, quid mirum fi etiam ipfa nihil eruditione tuá dignum fapiat? Quæro abs te, mi homo, utrum tu putes, vel aurigas veftrates purum & fincerum vini fpiritum bibere, vel, fi illi faccharum cum fuo Vini Spiritu,

quem potant, aliqualiter commiſceant, hanc eſſe veram perfectamque ſolutionem? Imò, qualemcumque illam ſolutionem vi ſpiritus non autem potius inhærentis phlegmatis fieri?

VII. *Spiritus* METALLORVM *ardentes.*

DE Spiritibus Metallorum phlogiſtis, ſive, ut tu ais, flammantibus videtur tibi parum ſobriè ac ſolidè diſputare Sala: At is viciſſim, & quidem rectius arbitratur, tam ebriam ac ſtolidam animadverſionem tuam non potuiſſe alibi, quam in eorumdem Aurigarum veſtratium proſeuchis naſci. Ardentes iſtos Spiritus non puto eſſe ſeparatos ex ijs corporibus, quorum Spiritus dicuntur, nehilum moratus, quicquid vel *Quercetanus in Defenſ. Hermet. med. cap. 16.* vel *Beguinus lib. 2. Tyrociniȷ cap. 4.* contra vel dicant vel ſentiant. Quandoquidem non levi aliqua conjectura impellar, ſed certa atque inconcuſſa hac apodixi nitar, quod nimirum nulla poſſit fieri ſeparatio alicujus rei ex corpore quodam, ſalvo nihilominus, atque integro manente eodem corpore, quod ſeparationi ſubſtat. Ita namque ſimul deſtrueretur, & non deſtrueretur, quod implicat contradictionem. Iam

verò in ſpirituum iſtorum elaboratione ſalvum atque integrum perſiſtit corpus Metallicum, quod hac ratione experiere. Sume e. g. vel Ceruſſæ vel Minij q. ſ. affunde Spiritum Aceti & ſolve totum. Solutiones ſ. a. reduc ad conſiſtentiam ſalinam: Magiſterium ſaliforme inde proveniens, quod *Sal* vulgò vocant ſeu *Saccharum Saturni* ad deſtillandum per Arenam vaſi Retorto inde: Habebis Receptaculò Spiritum, de quo loquimur, ardentem: Materiam vero Capitis mortui ſimilem quæ in Retorta inſtar pulveris ſubtilis reſtibilis manet, exime, & cum Sapone vel Tartaro calcinato, ſi opus ſit, commiſce: In igne fuſorio redibit tibi integer Saturnus, nullâ ſui parte mutilus aut mancus. Certè Spiritu ſuo tamquam parte eſſentiali orbatum plumbum, plumbum eſſe deſineret, quod tamen non fit: Quin potius ſi ipſi Capiti mortuo denuò Spiritum novum Aceti affuderis, eodemque quo antea modo proceſſeris, totiens liquoris ardentis copiam ſortiere. Vnde ſatis, opinor, ſuperque liquet, Spiritus iſtos inflammabiles, non eſſe elicitos ex ijs corporibus, quorum Spiritus dicuntur. Reliquum ergo eſt, ut nihil aliud ſint, quam Spiritus Aceti hunc in modum alteratus. Nec enim datur tertium.

Tu tamen quæris, unde huic ſpiritui nova vis flammam concipiendi? Reſpondeo eam à ſe materialiter habet Aceti Spiritus, formaliter à Saturno, Iove, Corallijs, &c. Hoc volo nihil quidem Rei ardentis ex hiſce corporibus extrahi in Spiritum Aceti, Interim tamen vim eum φλογιςὴν per id acquirere, quod cum iſtis corporibus conjungatur, rurſumque abſtrahatur: quod quomodo fiat, id non magis explicabile eſt, quam quare Aqua Fortis cum Lunâ in Magiſterium redacta flammam ſpontè concipiat. Ego malo in hiſce alijſque naturæ miraculis ad commune illud ignorantiæ noſtræ aſylon occultas proprietates confugere, quam abſurdis opinionibus eorumdem rationem reddere conari. Non itaque ſequitur Spiritus Aceti habet à Plumbo, quod ardet: Ergo quod ardet in Aceto eſt Spiritus Plumbi. Habet enim hoc à Plumbo, ut dixi, ac demonſtravi, non materialiter ſeu ſubjectivè, per participationem alicujus ſubſtantiæ inflammabilis, quæ in Plumbo præextiterit: ſed dumtaxat formaliter.

Neque ratiocinatione tuâ quidquam aliud extorquere potes, quam Spiritus omnes acidos reſiſtere flammis per ſe ac ſuapte naturâ: quod veluti nos facile largimur, ita hoc quoque indubitatæ veritatis

esse arbitramur, quod ijsdem spiritibus acidis ex accidenti possit vis φλογιστὴ obtingere. Exemplo sit Aqua Fortis, quæ cum Luna in Magisterium redacta facilè, ut antea dixi, conflagrat, tametsi per se non minus igni adversetur atque aqua ipsa.

Postremò, quid te, quæso, juvat *Aph. 24?* in quo hæc habentur, quod Spirituum acidorum quidam (QUIDAM, inquam ita fixari possint, ut Examen vehementissimi Ignis sustinere valeant: Hæc Salæ sunt: Tu subsumis: Spir. aceti est Spiritus acidus. Ergo ita cogi densarique potest, ut ignem ferat fortissimum neque exuratur. Nempe tu ille ipse es, qui parum sobrie ac solidè disputas: Logici vapulare jubent quotquot Syllogismos cudunt in primâ figura Majore particulari: Te ab hac pœna Aurigæ vestrates absolvent, quibus doctoribus hoc quoque disputandi artificium didiceris.

IX. SALES *Plantarum duplices utri præstantiores.*

SAlium extrahendorum modus est non unus. Conficiuntur enim vel per calcinationem modo satis noto: vel sine calcinatione ex Succis Herbarum. Accipitur Succi depurati copia, & ad spissitudinem Syrupi

Syrupi coquitur: Post in loco frigido spacio bidui vel tridui subsidit substantia granulata & aliquantùm salsa, quæ siquidem terrestrior, coloreque sit obscuriore, semel bisve lavatur inde siccatur: Et hoc est, quod *Sal Herbarum essentiale* (quasi verò per calcinationem paratus non essentialiter sed accidentaliter plantis inexisteret) vocat *Beguinus lib. 2. Tyrociniį cap. 17.* Ego verò ne mereri quidem nomen Salis censeo. Est enim non Sal herbæ, sed ejus quasi *Tartarum quoddam*, constans ex Sale & partibus herbæ tum mercurialibus tum Sulphureis, licet Sal prædominetur. Veritatem hujus adsertionis demonstrabit Vulcanus, siquidem enim huic negocium committatur habebis in Receptaculo pauculum partium Mercurialium & Sulphurearum: At quæ in vase destillatorio residua sit materies, modo vulgari soluta ac coagulata verum tibi Sal dabit, à reliquis Plantæ partibus, & residentia quadam terrestri sequestratum, quod nihilo Salibus cineritijs est præstantius.

Tartarus verò ille quanam præ Salibus cineritijs prærogativa gaudeat: age, nobis, edissere. *Pollet*, inquis, *etiam qualitatibus Mercurialibus & Sulphureis:* Respondeo eas ob prædominium Salis in totum ferè obliterari: Deinde quum Sales Cineritios Tartaro illo nequaquam cedere qua-

litatibus Sala adſereret: qualitates ſalinas id eſt, quæ Sali quatenus Sali competunt, quales ſunt incidere, detergere, adtenuare, aperire, urinam, ſudores ciere, voluit intellectas, ut qui virtutes Totius Plantæ in uno Sale minimè quærebat, id quod docere te poterat *Aphor. 22. ſ. 2.* Quibus quidem virtutibus ſalinis Sal Cinerum non tamtùm non cedit Tartaro Succorum, ſed & longo intervallo hoc poſt ſe relinquit, tuo ipſius teſtimonio. Quia enim dicis Sales Cinerum turgere non niſi natura ſalina, id eſt meros ſales eſſe, fatearis unà oportet virtutibus quoque ſalinis longè efficacioribus & exquiſitioribus eoſdem pollere. Auget enim qualitates ſalinas ignis, eaſque excitat in actum longè luculentiorem.

Inſtas porrò & Sales calcinatos nec colorem, nec odorem, nec ſaporem ſuæ Plantæ præ ſe ferre, contendis. Quod ſi verò inde aliqua calamitas ſit, ea ipſis cum Salibus quoque ſuccorum fuerit communis: in quibus ſi quis colorem Plantæ videat, plus quam Lynceus ſit oportet, nariſque plus nimis emunctæ, qui odorem perſentiſcat: De Sale vero res tam clara eſt, ut tu ipſe, tui forte an oblitus, dari tibi aliquem in mundo Salem poſtules, qui ſapore ſuam Plantam referat *Anim. 22.*

Cæterum

Cæterum bonitatem saporis Salium in quonam consistere Sala putet, id facilè intelligere erat in eodem Aphorismo ex opposita pravitate, quando videlicet ijdem sapore calcem referunt ac linguam corrodunt, quod faciunt, qui vulgo per calcinationem parari consuevere. Caussa est, quod partem causticam in calcinatione contractam penitus retinuerint, quam artificiosè demere, & sequestrare novit peritus Spagyrus, ut gustui non minus grati futuri sint, quam Tartarus tuus unquàm esse possit.

Non sunt hisce multò meliora, quæ de Salibus porrò scribis, eos videlicet calorem, siccitatem, & acrimoniam suam ab Ignis vi induere cujus illæ propriè soboles sint. Parùm abes ab opinione *Iacobi Schegkÿ*, qui putabat partibus terreis propter solam combustionem accidere, quod salsescerent. Sed hoc ejus commentum facilè confutatur ex eo, quod Sale omni elicito, si residuos Cineres etiam vehementissimo igne calcines: nihil tamen Salis efficias: Ita Cineres quoque quatuor Imperfectorum Metallorum, Markasitarum, Antimonij, Coralliorum, Perlarum, Gemmarum &c. etiam fortissimo igne per se calcinatorum, insipidi sunt, salsique saporis prorsus expertes. Ad tuum Paradoxum

regero:

regero: Omnia Salia esse calida & sicca, etiam ex parte acria, & hasce qualitates inesse ipsis suapte natura & per se, ab igne non nisi manifestari, acui, & intendi, minime gentium effici ac caussari. Sume Tartarum illum tuum succorum, & per destillationem ipsi auffer, quantillum habet Mercurij & Sulphuris, cum quo coaluit: Si tum postea ex eo, quod in Vaso Destillatorio remansit, citra calcinationem, sola solutione ac coagulatione interveniente Salem elicias, videas hunc non alijs qualitatibus præditum, quam quas dixi omnibus omnino Salibus inesse.

Ad ea, quæ ex *Aphor. 10. s. 2.* ultimo loco satis verbosè affers, breviter repono: Per incinerationem deperdi quidem qualitates à Sulphure & Mercurio rerum profluentes: At verò, quæ ab earumdem Sale sint, in actum educi, eumque longè evidentiorem, atque in Tartaro illo succulento: Neque alio fine dividi à vero Chymico Vegetabile, quam ut proprietates, quas quodque trium illorum principiorum componentium per se ac sua natura obtinet, seorsim habeantur, ac, quantum ejus fieri potest, sine permixtu alienarum. Qui si isthæc principia ita separare tentet, ut integræ nihilominus herbæ qualitates integras in uno eorum separato omnes

conservare

conſervare velit, ridiculus ſit, non minus atque is, qui Coagulum illud ex Succis herbæ alicujus Sal exiſtimet, verè ac realiter à reliquis Plantæ partibus ſeparatum.

X. *Iterum de* SALIBVS.

EX ijs, quæ jam diximus, patet Reſponſio ad Animadverſionem tuam decimam. Nihil abſurdi adverſus *Quercetanum* urſit *Papius*, ſi de Salibus idem quod Sala ſtatuit. Omnis Sal calidus eſt & ſiccus, facultatis detergentis ac aperientis. Neque quidquam refert, quod iſtæ qualitates alienæ ſæpè ſint à genio atque indole Plantæ. Annon *Roſa* eſt frigida? Neque tamen Sulphur ejus ſeparatum ſeu Oleum ſtillatitium frigidum eſt, ſed impensè calidum. Ita nihil involvit abſurdi, partem aliquam à Toto ſeparatam, qualitates etiam à Toto alienas nanciſci. Neque Sales, quos *Succulentos* tu vocas, quâ quidem parte Sales ſunt, alijs quam dictis qualitatibus gaudent. Etſi tu, præter dictas, alias adhuc qualitates, quæ quidem cum illis ſubſiſtere nequeant, in Sale latere exiſtimas, eas, age, ſi vires, ſolidè nobis demonſtra.

XI. *Varia adhiberi posse εἰς καταβολάς.*

APhor. 36. Salæ adſertio eſt: *Salem Tartari eſſe adpropriatum Inſtrumentum præcipitandi:* Cauſſam hujus ibi unà ſubnectit: Tu utrique injuriam magnam facis: Salæ verò maximam. Neque enim qui hujus ſcripta legit, ullo in loco videat, eum Sali Tartari ſoli præcipitandi officium adſcribere. Poterat te hoc docere vel ſolus *Anatom. Vitriol. Tract. 2.* ubi de *Reductione* ex profeſſo agit, Et ſolutionem Auri ab Argento, Hydrargyro; Argentum particulâ Æris; Æs à Ferro præceps dari docet. Neque etiam ex Theoremate Salæ hæc objecta abſurditas evinci poteſt. Anne enim propterea ſolum ſit, quia adpropriatum? Conſulere hîc debebas Logicen tuam, ut vidiſſes, quot ſint modi Proprij, & deinde Topica Ariſtotelis, ut didiciſſes tot modis quoque dici appropriatum, quot Proprium.

Ratio denique Aphoriſmo inſerta ſatis proba eſt, ſaltem tu probè & ſolidè eam, ut potuiſſes, ita voluiſſes interpretari. Hunc ego pro te laborem ſubibo, ut tuæ miſeriæ omni ex parte ſuccurratur. Verba Aphoriſmi ſunt: *Sal ipſius* (Tartari) *præditum qualitate*

qualitate terrestri & spongiosa, cujus beneficio spiritus acres ob omnibus omnino liquoribus avocat ac imbibit, cumque ijs penitissimè se unit. Atque hac de caussa appropriatum est Instrumentum præcipitandi. Siquidem oculos tuos adhuc usurpare potes, Eruditissime Anonyme, vides αἰτιολογίαν hanc non simplice sed duplici Syllogismo contineri, hoc quidem pacto: *Prior* talis est:

Quodcunque Spiritus acres ab omnibus omnino liquoribus avocat ac imbibit, cumque ijs penitissimè se unit: id est appropriatum Instrumentum præcipitandi.
Sal Tartari Spiritus acres ab omnibus &c.
Ergo *Sal Tartari est adpropriatum Instrumentum præcipitandi.*

Posterior vero Syllogismus est probatio Minoris propositionis: is ita procedit.

Omnis Sal præditus qualitate terrestri & spongiosa spiritus acres ab omnibus omnino liquoribus avocat ac imbibit cumque ijs penitissimè se unit.
Sal tartari est talis Sal.
Ergo Sal Tartari Spiritus acres ab omnibus. &c.

Quid vis jam tibi, præclarissime Censor, quur aliorum scripta suggillas, si, quid proponant, tu non intelligis, vel si intelligis,

intelligis, quur tam abſurda, tam perturbatè, objicis? *Infinita*, inquis, *ſunt conſimili raritatis conſtitutione, quæ non ſunt vi præcipitandi prædita.* At tu, ſi vir es, profer aliquod ex illis infinitis, & ſub præmiſſis horum Syllogiſmorum legitimè & rationaliter ſubſume: fac, ut videamus illas ἐνςάσεις, & in ijs tuam ſapientiam, cujus quidem non præclarum ſpecimen edidiſti, quando objicis, *multa eſſe vi præcipitandi prædita, quæ non ſint ſpongioſa.* Pone enim ut verum ſit, qualitati terreſtri & ſpongioſæ immediatè, præcisè, & illimitatè Salam adſcribere præcipitandi officium, quod tamen non facit (ut ex reſolutione Aphoriſmi Syllogiſticâ conſtat) nihilominus tamen vel pueris Logicorum liceret hic videre & ridere, quam tu ſis abſurdus. Age, videamus hoc quoque.

Quodcunque eſt qualitatis terreſtris & ſpongioſæ eſt appropriatum Inſtrumentum præcipitandi:
Mercurius e. g. *aliaque tua multa non ſunt qualitatis terreſtris ac ſpongioſæ.*
Ergo non ſunt Inſtrumenta præcipitandi.

Et Syllogiſmus, ut vides, in prima figura ex Minore negativa, quod nemo eorum, qui ſub ferula ſunt, neſcit: vel ſi in ſe-

in ſecunda figura fiat Syllogiſmus, erit ex puris affirmantibus:

Mercurius &c. ſunt Inſtrumentum præcipitandi.

Ergo *Mercurius &c. ſunt qualitatis terreſtris ac ſpongioſæ.*

Apage cum puerili hac nugatione & illuſione tua.

XII. *Ecquod* Sal *extrahi poſſit ex* Corallijs, Margaritis, Conchylijs.

NEgat Sala *Aphor.40.* Salem ex Corallijs, alijſque cognatis corporibus extrahi ſimilem Sali Vegetabilium. Ratio ipſius eſt; Quia talis nullus ijs inſit. Quod ſi enim ineſſet per calcinationem utiqne in apricum protraheretur: At Calx illorum Corporum, nulla Ignis vi poteſt ſalſeſcere. ſed perſiſtit ubique inſipida. Fruſtra ergo de Menſtruo ſumus ſolliciti ad extrahendum tale Sal, ſi hoc ipſo nullatenus prædita deprehendantur. Obijcis: *poſſe Mercurium ac Sulphur ex ijs ſecerni: Ergo & Tertium Sal, quibus tribus omnia Corpora naturalia & proin etiam iſthæc conſtare fateatur Sala.* Equidem, ut concedat: Omnia Corpora ex tribus iſtis coaluiſſe: Attamen juxtim profitetur:

profitetur: hæc tria non inesse omnibus Corporibus *univocè*, id quod ponit evidenter *sect. 1. Aphor. 12.* & pleniùs explicat *Anat. Antimon. part. 2. s. 1. cap. 2.* De tertio illo Principio *Sale* hic loci quæstio est, quòd in Corporibus admodum ἀναλογικῶς se habere experiuntur, quotquot in verâ non sophisticâ illâ rerum Anatomiâ desudant. Hi enim in Vegetabilibus plærisque & Animalibus Sal verè salsum & in aquâ solubile reperiunt: In Corallijs, Perlis, alijsque Conchylijs, posteaquam substantias Mercuriales ac Sulphureas separarunt, relinquitur illis Sali analoga CALX, quæ nulla ignis vi adduci potest, ut veri Salis naturam saporemque induat. Ac quamtumvis hoc nomine circumferantur Coralliorum ac Perlarum præparationes saliformes, cum spiriribus acidis præparatæ, istud tamen Sal non est ex corpore Coralliorum extractum, sed à Spiritibus acidis profectum, id quod duplici potissimùm medio innotescit: Sume enim Coralliorum certum pondus: affusoque iterum atque iterum spiritu acido totum solve: Solutiones s. a. ad consistentiam salinam reductas pondera: Videbis plusquam triplo auctum esse pristinum pondus, nulla alia de caussa, quam, quod Sal suum in præparatione ista ad Corpus Corallinum deposuerint

rint

rint Spiritus acidi. Quodipſum Sal deinde per deſtillationem rurſus ſecerni poteſt à Corallijs, ut hæc ſub formâ lapideâ in Retorta relinquantur, aptaque ſint denuò, & plus vice ſimplice in ejuſmodi Salem eodem modo transformari. Corrige ergo quę ſcribis, Corallia, Margaritas,aliaque Conchylia Sale non minus donari, quàm Abſinthium, aut Quercum, aut Hominem. Ex his enim calcinatis Sal extrahitur: ex illis idemtidem calcinatis nullus, id quod ab ipſa Experientia ſatis edocebere, ne opus ſit demonſtratione prolixiore.

XIII. TINCTVRA CORALLIORVM.

DE Tinctura Coralliorum diſſertationem prolixam inſtituis, in quâ diſputas contra Proceſſus aliorum, qui nihil ad Salam. Hic ſimpliciter ſtatuit, ſinceram Tincturam ex Corallijs, quin etiam Gemmis extrahi minime poſſe. Quia vero prævidebat, futuros, qui illud Theorema ægrè eſſent laturi, ideo addit nullo id contrario Exemplo poſſe convelli. Fruſtrà fuiſſe hactenus, quotquot hanc in rem operæ quidquam aut laboris poſuerint, ſola abſtractio Menſtrui, quo cum ſubſiſtit quicquid Tincturæ illius nomine obtruditur, edo-

tur, edocuit, ne quid dicam quam turpiter Solventia acida eam ad rem usurpent, utpote quæ constet integra corpora Corallina solvere, nihil quidquam ex ijs Tincturæ separando extrahere, quamquam fortuitò nonnunquam colorentur. Tu putas tamen hanc Tincturæ Extractionem factu non esse impossibilem: quia eam possideant, licet parcissimè, ut per centenas Coralliorum libras vix pauci rubræ Tincturæ scripuli disseminentur: Et aliquot Gemmarum centupondia vix possideant Tincturæ paucas drachmas. Frustra itaque esse, qui ex uncijs aliquot sperent tincturam aucupari, cujus tantillum ex centupondijs eliciatur. Imo verò hoc ipsum est, quod demonstrari sibi tantoperè Sala postulat. Quamdiu ergo isthæc tua ratiocinatio viva rei demonstratione destituitur, ut ut satis lepidè disserere videare, merum tamen principium petis, ac in vanum tuis conjecturis, nulli certitudini innixus, præjudicas Aphorismo. Quod si, ut ais, parcissimè & leviter permixta hisce corporibus est Tinctura, undenam insignis ille color? Hoc concilia.

XIV. TIN-

XIV. TINCTURA, SAL, LIQUOR *Lapidum preciosorum.*

NIhil jam superest in *Animadv. tua 14.* nisi id quod de Liquore Gemmarum habes, quem quum Sala negat ex Lapidibus separari, videtur tibi tum naturæ tum Experientiæ bellum indicere: Tu vero mihi & Arti plus tribuere, quam præstare illa possit; & temere ad Experientiam provocare, quam nullus proferre potes; & rationibus admodum miseris velitari. Ars certè non valet tantum ad resolvendum, quantum natura ad coagulandum; Motusque naturales longè sunt faciliores motibus seu actionibus ab arte excitatis: Illi enim sunt à Principio interno; Hi ab externo: Ideoque primò animadversionem meretur id, quod scribis, *eadem facilitate,* qua Archæus naturæ concrescere Gemmas fecit, easdem posse resolvi ac liquefieri ab artifice.

Secundo, utut concedam Lapides ex liquido in duram compagem concrescere: quod tamen non sine caussa in dubium vocari poterat, quum meram terram sapere plærique videantur: Inde tamen non sequitur, quicquid ex Liquido concrevit, ab Artifice posse in liquorem transmutari. Ex-

empla non conquiram multa. Sufficit unum hoc de Auro: quod ex Mercurio minerali re ſcilicet liquida conſtare, nonnemo Chymicorum ſtatuit, quorum tamen nemo inventus eſt hactenus, qui liquidam Auro formam, in quâ per ſe & ſine additamento ſubſiſteret, potuerit donare: tametſi non deſint, qui id profiteantur, homines miſericordiâ digni.

Nec, quia glaciei formam referunt gemmæ, ideoque velut glacies reſolvi poſſunt: Turpe eſt viro cordato, adeo externa rerum ſpecie ac umbris decipi. Inquis: *Viros omni ævo extitiſſe, qui id artificij tenuerint:* Reſpondeo, non magis me illis, quam tibi credere, niſi, quæ dicitis, vel ipſo effectu comprobetis, vel ſaltem eorum reddatis veram rationem ac evidentem: cujus in hac animadverſione ne leve quidem veſtigium video. Nam quod tali calore, abs quo granum tritici in plantam ſegetemque aſſurgit, dura illa vaſtaque compages reſolvi poſſit, ijs perſuadeas, qui, ut Satyricus ait, nondum ære lavantur. Non magis hoc tibi credimus, quam tu *Vendlero, Fioravantæ, Aſtrologiſque illis*, Aurum vi caloris animalis reſolvi *Animadv. 21.*

Poſtremo, hic quoque diſce, aliud eſſe *ſeparare* Liquorem ex Lapidibus, aliud lapides in liquorem *transformare*. Diverſiſſi-

ma hæc ſunt, licet abs te pro uno eodemque habeantur. In ſeparatione fit Liquidi à non liquido Diacriſis ſive ſecretio: In transformatione, Lapidum à conſiſtentiâ ſicca ad liquidam ſecundum ſe totos metabaſis.

XV. MAGNES.

DE Arcanis Magnetis quum ampullaris, venit mihi in mentem illud Satyrici. *Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.*

De Calcinatione vero Magnetis ita ſtatuere videris, uti vel quid *calcinatio* ſit, neſcias, vel *Paracelſum* non intelligas, vel utroque ſimul modo pecces. Adſcribemus locum ipſius Paracelſi, non ex iſtis *de Magnete Fragmentis* (quæ tu *Operis* nomine citas) in quibus nihil eius rei habetur, ſed ex *opere de Naturâ Rerum Lib 7. de Tranſmut: in fine:* Ita ille ibi: Deßgleichen ſolt Ihr auch wiſſen von den Magnet / daß derſelbige auch in zehenfaltige krafft vndt tugendt mag tranſmutiret werden / vnd iſt ſolcher Proceſs alſo, nemblich daß du nemeſt den Magnet vnd ihn in ein tholfewer halb glüeſt / alſo daß er gar heiß gemachet werde / vndt doch nicht glüe. Vnd alſobalt mit Oleo Croci Martis abſleſcheſt. Hoc ipſum Experimentum num ita ſe habeat nec ne, meum non eſt hoc loco diſquirere: Tuum autem, videre, an vel verbulo hic Calcinationis meminerit Paracelſus. Detinere jubet Magnetem in igne Carbonum, uſque quo ſemi igniatur,

ut ita loquar, sic ut ferventissimus quidem evadat, nec tamen omnino ignitus: hoccine tu Calcinationis nomine censebis? Abi tu prius, & ex eodem auctore, quid sit Calcinatio disce, *ex eodem libro in Principio.* Nun werden durch daß calciniren alle Metallen/ Mineralien/ Stein vnd Glaß ꝛc. vnd alle Corporalische dinge zue kalck vnd aschen/ vnd geschicht mit offenbharen/ lufftigen vnd starcken flammenfewer/ dardurch alles zähes weicheß vnd säisteß Eretreich zue Stein gebrandt wirdt/vnd alle Stein zue Kalck/ wie wir dan sulcheß erfharen/ vnd sehen in Haffner Offen/ Ziegelöffen vnd Kalcköffen ꝛc. Age confer jam hæc cum illa Magnetis ignitione Paracelsica, & Objectionis tuæ miseria clarissimè dispalescet. Ita namque ratiocinabere: Quod Sala dixit Magnetem per calcinationem virtutis suæ adtractricis jacturam facere, id falsum est, Quia Paracelsus ait, eumdem imperfectè ignitum, & post in Oleo Martis extinctum decuplo reddi fortiorem. Hæc videlicet non magis cohærent, quàm ægrorum somnia. Quod si tu verâ calcinatione, quam ex Paracelso te docui, Magnetem redegeris in calcem, nihil falsi Salam scripsisse reapse cognoveris. Vltimo quid de *C...* tuis *ferri* statuendum sit, id innuimus per ea, quæ ad Animadv. tuam quartam annotavimus.

XVI. *Tal-*

XVI. *Talcum*.

NOn possum tibi hic prẹstare Oedipum, qui tua de *Talco albo* ænigmata explicet, multo minus num sese ita habeant, quæ tu hic narras, disquirere, quum nolis intelligi. Hoc præstare possum, ut etiamsi illa vera essent, quod tamen adhuc nego, veritati ob id aphorismi nihil decederet. Futiles enim ostensu essent *æquivocationes* in Vocabulis Calcinationis, Solutionis, Liquoris, quibus tu Aphorismo illudere præsumas: tum etiam ineptitudo monstrari poterat tui *Cosmetici*, quod de Talco tu extraxisse putas, quum non sit nisi Sal quippiam Corrosivum in liquorem resolutum, idque extrinsecus Talco adveniens, neutiquam ex hoc separatum: quod pro nitore insignem aspredinem faciei conciliet.

Verum hac de re tum demum contra te agam, quando horribili tuo Secreto tectorium illud detraxeris, neque ut Talpæ in Sole deprehensæ solent, tenebras quæsieris. Nunc tantùm tria monebo.

Primum est, ut exactius paullo discas, quid sit *Calcinatio*. Putas te rem factam habere, quando Talcum redegeris in formam talem, ut quis fateatur, se ne Talcum quidem agnoscere, atque id nullo umquam

artificio reduci poſſit ad indolem priſtinam: Si hoc eſt calcinare, ſolo ego piſtillo poſſum calcinare Gemmas, Corallia, Perlas; ſolo inquam piſtillo: quia ita hæc in pulverem comminuam, ut faſſurus ſis (verba ipſiſſima tua tibi reddo) te ne quidem agnoſcere Gemmas, Corallia, Perlas, atque tu hæc numquam reducturus ſis ad indolem priſtinam. At iſtiuſmodi pulverationem ſive triturationem nemo, niſi tu fortè, idque nimis inſolenter ac ridiculè, calcinationem vocaverit.

Secundum eſt, non ignorare me *Scaligerum* Olei ex Talco extrahendi artificium profiteri *Exercit. 161 ſect. 1.* & quidem ſine Alembico *Exercit. 104. ſ. 7.* Verum, quum is modum extractionis non expreſſerit, quur non jure merito dubitemus? Tu ſi nihilominus illius auctoritate Salæ ſententiam evertere ſategeris, non indignare, nos quoque eâ ipſâ tuam Calcinationem demoliri. Scribit enim idem *Exercit. 104. ſect. 7.* Talcũ non calcinari niſi igne vehementiſſimo: Ideoque tu etiam dele hanc ſententiam, quâ prodidiſti, te igne non vehementi, & quinque duntaxat prunis Talcum abſumere: Vel, ſi hoc vis ratum haberi, nihil obſtante *S*caligeri auctoritate, patere quæſo eodem in negocio, eadem tecum libertate frui Salam, ut non magis Scaligeri auctori-

auctoritati adstrictus sit, atque tu es ipse.

Tertium, quod te volebam, hoc erat. De *Talco ruffo* quædam Animadversioni tuę assuisti, quæ etsi ad Salam minime pertineant, ut qui de solo Albo Aphorismum suum conscripserit: Tamen quia de Talco albo ingenia nostra tam liberaliter exercere voluisti, pro antidoro ego ostendam multô justius tuam illam de Ruffo dissertationem castigari. Ita disseris: *Reperiri in Talco ruffo, frustulum aliquod primi Entis & radicalis Sulphuris Auri. Nam sic fore creditum est, Mineralia, in quæ agendi potentiam exercet Aqua Regia gravida esse Auri quodam semine: Siquidem in alia vix quam in Aurum operetur.* Siquidem seriò hæc scribis, ego quidem nihil quicquam hac sententia vidi monstrosius: utpote quæ præsupponat esse præter Aurum alia Mineralia, in quæ agendi potentiam exerceat Aqua Regia: simul etiam solum Aurum ab hac eadem pati velit asseverare: Vel hæc sibi non constant, vel ego in hac subtilitate cęcutio. Vix te hic à manifestâ contradictione quidquam liberabit, præterquam salutaris illa vocula VIX, animi vacillantis, ac trepidantis tum indicium tum effugium: Tum verò à nugatione nulla te unquam subtilitas exemerit. Experiamur efficaciam tui argumenti:

Omnia mineralia in quæ agendi potentiam exercet Aqua Regia, gravida sunt Auri quodam semine.
Talcum ruffum est Minerale, in quod agendi potentiam exercet aqua Regia:
Ergo Talcum ruffum est gravidum Auri quodam semine.

Major, quia incerta est, ideò indiget probatione, quam tu dare vis per id, quod dicis *Aquam regiam in alia* (Mineralia) *vix quam in Aurum operari.* Ergo ut omnem hic tergiversandi occasionem tibi pręcidam, dico te per voculam illam VIX intelligere, vel, quod in solum Aurum operetur Aqua Regia, vel quod in Aliud Minerale præter Aurum: Si prius, contradicis tuæ ipsius Minori; contradicis Experientiæ, falsum enim tum fuerit ex Antimonio verum & combustile Sulphur per solam aquam Chrysulcam elici, falsum itidem, Martem in tenuissimas lamellas ductũ in Aquâ Regiâ penitus dissolvi, solutionemq; de se præbere coloris plane aurei, non minus atque tuum illud Talcum: At hæc vera sunt & Experientia ipsa constant: Falsum ergo fuerit prius illud, Et per consequens verum posterius: At tum Principium petit probatio Majoris: immò vero miserrimè nugatur, Nimirum, omnia Mineralia in quæ agendi potentiam

tentiam exerceat Aqua Regia, eſſe gravida ſemine Auri: Quia Aqua Regis in alia Mineralia operetur, præter Aurum. Hoc, inquam, eſt turpiſſimè nugari. Quin potius rectiſſimè invertitur Argumentum hoc pacto: Quia videlicet aqua Regia in alia Mineralia præter Aurum operetur, Ideo non omnia Mineralia in quæ agendi potentiam exercet Aqua Regia, gravida eſſe ſemine quodam Auri: Atque ita vere contradicitur Syllogiſmi tui propoſitioni Majori, quæ tum nonniſi particulariter vera eſt, monſtrum in primâ ſigurâ. Quicquid hic reſponderis, perinde eſt, Tuum argumentum nugatorium eſt, manet, æternûmque manebit.

Secundò, quæſitus tu, quare de Argento ſubjeceris, illud ab Aqua Regiâ nihil pati, quidnam reſpondebis? An quod ita probare volueris tuum cacodoxum, Aquam Regiam in alia vix quam in Aurum operari? At hoc eſt argumentari â particulari ad univerſale, ab uno ad omnia.

Tertiò, Cumque tam Lunam quam Aurum ſolvi dicas in blando & inſipido illo Liquore, *Animadv. quintâ*, deque Auro idem repetere non dubites *Animadv. 21.* Certè falſum fuerit, quod hîc aſſeveras, Argentum *ſolùm* ab Aqua forti pati, Aurum *nullo* ſolvi Menſtruo, quam dicto Regali: Aut illud falſum fuerit: Vel, ille Liquor inſipidus

erit tum Aqua Fortis, tum etiam Regalis, & sic minimè insipidus; vel Aqua Fortis & Regalis erunt insipida; vel quod verius esse credo, tu, quid scriberes, quum tot contradictionibus miserrimè te intricares, juxta cum ignarissimis scivisti.

Quartô denique Solutio illa tua Talci ad siccitatem redacta, pulvis evadit minimè omnium flammam concipere idoneus: Illi ergo *sulphuris* nomen tam bellè competit, quam tibi boni Logici ac Chymici. Sed abeo ab hac tuâ jucundâ speculatione, & quia ita vis, confero me hinc tecum ad Vitriolum.

XVII. DE VITRIOLI *generatione*.

Sala cùm Analysi spagyricâ, tum Genesi eiusdem artificiali edoctus, statuit quatuor diversa Corpora ad compositioné Vitrioli concurrere: *Aquam* videlicet, *Spiritum Sulphuris Mineralis*, *Metallum*, *idq;* vel *Ferrum* vel *Cuprum*, denique portiunculam quandam *Terræ*. Hæc quatuor vi solvente & coagulante Spiritus Sulphurei ad unitatem certam redigi, redacta constituere Vitriolum: Vnitatem illam non consistere in alio, quam quod materialiter, nequaquam formaliter, accidentaliter, non essentialiter unum Ens faciant. quum illæ partes componentes sub suâ quæque formâ propriâ, actuque

actuq; naturali integro ſerventur in Vitriolo: quas & facile Ars de integro ſegreget, & ſeorſim ſub ſua quamque formâ redire faciat ad iſtiuſmodi unionem. Itaque ex ſententiá Salæ Vitriolum non eſt *formaliter unum Ens*, ſed quatuor diſtincta Entia, intime quidem & ſecundum minima naturalia, attamen non niſi materialiter & accidentaliter unita: Atque hoc quidem ſenſu *accidentaliter & fortuitò* Salæ coaleſcere dicitur Vitriolum.

Hiſce præmiſſis, facillimè ſatiſfieri poterit argumentis tuis, quibus in Salam arietas.

Primum eſt *ab abſurdo*, eoque *duplici*. Per hanc enim opinionem tum renaſci tu putas, veterum Philoſophorum errores, qui fortuitis caſibus omnia naſci ac denaſci, ſurgere & oriri opinabantur; tum omnem Philoſophiam Peripateticam corruere, quæ certas rerum cauſſas non incertas profiteatur. Times videlicet ne cœlum ruat. Quaſi veró non *Ariſtoteles* ipſe *lib. 7 Metaphy: cap. 7.* expreſſiſſimè prodiderit; *In ijs, quæ tum ab Arte tùm à Natura fiunt, quædam exſiſtere CASV.* Veteres verò Philoſophi ut *Empedocles* & *Democritus* exiſtimabant naturam non agere propter finem, ſed omnia in rerum natura caſu fieri, vel ex materiæ neceſſitate, vel temerario quodam impetu, contra quos graviſſime *Ariſtot:* diſputans

Lib. 2

Lib: 2 Phyſ: demonſtrat omnia opera naturalia ad certum deſtinatumque finem contendere. Applica jam hæc ad propoſitam Salæ ſententiam, videbis eum in Anatomiâ Vitrioli diſertis verbis profiteri: *Vitriolum procedere à providentiâ ſummi & æterni Creatoris ad humani generis bonum.* Ergo etiam ad finem: Ideoque non facit Sala vel cum Democrito vel Empedocle vel alijs, qui finem ex cenſu cauſſarum naturalium tollere volebant: id quod primò erat oſtendendum.

Secundò: à Sala non deſtruitur ſed potius adſtruitur Peripatetica Philoſophia, uti non tantum ex dictis patet, verùm etiam ex eo, quod certis definitis ac determinatis Principijs, tametſi ſub unione accidentali conjunctis, Vitriolum componi conſtantiſſimè pronunciet. Quomodo ergo is vel deſita jam olim veterum Paradoxa recoquat, vel Ariſtotelicam Philoſophiam demoliatur, cupio mihi clariùs abs te demonſtrari.

Tertio: neque Sala vult Vitrioli generationem eſſe accidentalem eò, quod tres diverſæ ſubſtantiæ ad eam concurrant, uti tu ipſi affingis: ſed quod illæ ipſæ ſubſtantiæ maneant ſub ſuâ quæque forma integrâ, actuque abſoluto in vitriolo: id eſt, materialiter dumtaxat, non formaliter unum fiant, contra quam fit *in Auro, Argento, Antimonio,* alijsque quamplurimis Mineralibus,

quorum

quorum principia constitutiva, quoniã Ens formaliter unum faciunt, ideo eorum generatio toto genere a Vitrioli diversa sit, necesse est.

Quartò ita argumentaris:

Rerum fortuitarum & ex accidenti provenientium, nulla potest esse certa sceintia; nulla cognitio:
Vitrioli certa est ac minime fallax scientia:
Ergo vitriolum non est fortuitò & ex accidenti generatum.

Respondeo: *Major* sese ipsã evertit: Nam si *nulla* est rerum fortuitarũ & accidentaliter provenientium certa cognitio seu scientia; Non potest quoque certo de ijs sciri sive cognosci hoc, quod nulla sit earum certa cognitio sive scientia. Quicquid dicas, oportet te *aliquam* de ijs certam cegnitionem sive scientiam relinquere: & sic tuæ ipsius Majori contradicere. Præterea ita contra tuam Majorem argumentor:

De quacunque re certo scitur hoc, illam esse accidentaliter compositam, ejus est aliqua certa cognitio, aliqua scientia:
Atqui de rebus accidentaliter compositis scitur hoc, quod sint accidentaliter composita:

Ergo

Ergo rerum accidentaliter compoſitarum eſt certa aliqua cognitio, aliqua ſcientia.
Et per conſequens Major tua non niſi particulariter vera:

Ad *Minorem* tui *S*yllogiſmi reſpond:
Duo eſſe quæ de vitriolo doceat *S*ala: primum eſt, modus Analyſeos; ſecundum, modus geneſeos ejusdem; quæ duo de ijs, quæ accidentaliter conpoſita ſunt, ſciri certò & cognoſci poſſe, niſi tu nolis, omninò arbitrabimur.

Ex hoc *quinctò* aliud argumentum depromis hunc in modum:

Quicquid fortuitò generatur, id nec ſemper fit eadem ratione, nec ſibi perpetuo eſt ſimile.
Vitriolum ſemper eadem ratione fit, & ſibi perpetuo eſt ſimile.
Ergo Vitriolum non generatur fortuitò.

Reſpond. Si per *fortuitam generationem* intelligas talem, qualem veteres olim Philoſophi ſomniabant, facile me tibi totum argumentum elargiri, ut quod ad Salam minimè adtineat: *S*in eiuſcemodi compoſitionem, quam tibi ſupra explicavi, Major non eſt univerſaliter vera: Nam non omnium quæ accidentaliter componuntur, ea eſt ratio, ut quodvis cum quovis uniatur, ſed

certa plærorumque ac determinata. Exempla tibi ex hisce tuis animadversionibus proferam. Suprà fatebaris Aurum non solvi, nisi in aqua Regia; Argentum non nisi in Aqua Forti; Talcum ruffum non nisi in eadem aqua Regia suam Tincturam deponere. At verò in hisce solutionibus unio Auri & Aquæ Regalis; unio Argenti & Aquæ fortis; unio Substantiæ ruffæ Talci & Aquæ Regalis; Hæ, inquam, uniones, quid quæso sunt, quam accidentales. Ex tua ergo ipsius sententia, *quoddam* quod est accidentaliter compositum fit semper atque eadem ratione & sibi perpetuo est simile. Atque ita falsa est tua Major,

Deinde neque te nescire credo, Vitriolum aliud artificiale esse, aliud naturale: Hoc vel in formâ liquida seu lixivio quasi quodam sub terra præparato inveniri & extrahi; vel ex ipsa terrâ sub solida sive massa sive Materia (quam dissolvunt Artifices, priusquam Vitriolum separare possint) erui, Aliud porrò participare de Ferro, aliud de Cupro, aliud de Vtroque, Artificiale etiam de Argento confieri: horumque ipsorum Metallorum in alio multum, in alio parum contineri; Aliud cærulescere, aliud viridescere, aliud albescere; aliud Diaphanũ esse, aliud secus: Ex quibus sanè omnibus *dissimilitudinis* Vitrioli argumenta minimè

dubia

dubia peti possunt, ut te mirer in minore tui syllogismi persuadere nobis velle, Vitriolum sibi perpetuo esse simile, modoque prorsus consimili confieri.

Ita ergo constat, quam facilè enerventur tuæ argutiolæ, quas adversus Salam produxisti: quas si in temetipsum convertamus, non equidem nullo id tuo merito faciamus. De Talco ruffo philosopharis in hunc modum: *Sulphur Auri quum adhuc quasi Embryonem agit, & ut Chymici nostri loquuntur, est in primo Ente, sicubi* FORTE *cum Talci venis concurrit & commiscetur, tum Talcus haurit, concipitque illud Sulphur, absque illo Talcus albus visitur.* Quid hoc est aliud quam conceptissimis verbis adserere, Talcum ruffum generari accidentaliter & fortuito: ex Talco videlicet albo & Sulphure Auri *forte* concurrentibus? Iam opponimus tibi tua ipsius argumenta, quibus contra Vitrioli generationem accidentariam ac fortuitam tam seriò acriterque pugnabas, imò temetipsum tibi ipsi. Tuum fuerit, dispicere, utrum tibi commodius videatur, vel negare Talcum ruffum esse fortuitò & accidentaliter generatum, atque ita mendacij temetipsum arguere; vel Argumenta tua, quibus Vitrioli generationem accidentariam evertere sategisti, nulla nobiscum ac invalida reputare.

XVIII. VITRIOLUM *num sit è genere Salium.*

GEnerationem Vitrioli vidimus: nunc de eo cognoſcemus, num Vitriolum ſit è genere Salium. Omnium autem primò eluenda eſt inconſtantiæ nota, quam tu inurere Salæ, ſi poſſes, velles, *Aliquam multas*, inquis, *antiphaſes ex Anatomiâ Vitrioli & Aphoriſmis, quæ adverſis frontibus inter ſe & cum hoc pronunciato concurrant, commonſtrare poſſem, ſed ſatis eſt digitum intendiße in unam, ex qua judicari queat de cœteris. Hoc Aphoriſmo 45. ſcribere Salam, quod Subſtantia ex Vitriolo ad purpureum colorem reverberato non ſit propriè Sal, ſed Spiritus Sulphuris coagulatus Aphor. vero 46. profiteri, Acidam ſubſtantiam ex Sulphure eductam ſeu Spiritum Sulphuris nihil eße quam Sal & quidem fuliginoſum: Igitur & illam ſubſtantiam Vitrioli purpuream eſſe Sal.*

Profectò ſi ex hac unâ contradictione judicandum eſt de reliquis, quas te magno numero ex Sala collecturum gloriaris, verè judicabimus, quoniam illa nulla eſt, has quoque pariter nullas futuras. Pro reſolutione hæc habe.

Spiritus Sulphuris (*puta ſimpliciter & per ſe ſubſiſtens*) eſt propriè Sal:

Subſtantia Saliformis ex rubificato Vitriolo extracta eſt quidem ſpiritus Sulphuris;

Verum *non ſimpliciter ſubſiſtens*, ſed *coagulatus* cum particulâ *Minera Metallicâ*, ſeu *reſidentia Mineralis Vitriolacea*, ſeu *materia cujuſdam metallica terreſtris*: quæ quidem reſtrictio partim in ipſo *Aphoriſmo*, partim in *Anat. Vitrioli* conceptiſſimis verbis habetur: ut craſſiſſimo glaucomate oculos tuos oporteat obductos, ſi eam non videris.

Hæ igitur duæ propoſitiones Salæ ſunt, ex quibus non credo, te pro tua Sapientia tum Logicâ tum Chymicâ inferre velle hanc Concluſionem:

Ergo Subſtantia ſaliformis ex Vitriolo rubificato extracta proprie eſt Sal:

Neque enim credo vel puero Logicorum difficile ſit in ejuſmodi Syllogiſmo *quatuor terminos* numerare.

Iam quod propoſitam initio controverſiam adtinet, de eâ negativam tenet Sala *Anat. Vitrioli Tractatu 2*. Sed operæ precium fuerit pro majore rei intelligentia adſcribere ipſa verba ex loco allegato. Ita ille ibi: *Vitriolum præterea non eſt Sal aliquis, nec generi Salium adnumerandum venit,*

Omnia

Omnia enim corpora, quæ Salium nomine censentur, non solummodo differunt colore, odore, sapore (pro sapore gustu habet Anat. Vitrioli: idque errore Interpretis, qui dum ex Italico idiomate in Latinum eam traduceret, Italicum saporis nomen retinuit) *& alijs proprietatibus à Vitriolo: sed & corpora simplicia ac incomposita habenda sunt, si cum Vitriolo comparentur, quæ ipsa producta generataque sunt singula ex proprio suo peculiarique* Ente *&c. Vitriolum è converso* ( ) *non est corpus aliquod procedens à particulari aliquo Ente, ad ejus productionem destinato: sed est corpus quoddam accidentaliter constructum ex concursu coincidentiaque diversarum rerum simul & eodem tempore & loco. Usque adeò ut sine errore gravi Vitriolum numero Salium inseri neutiquam possit: quæ Salia ejus sunt naturæ ut colorem, odorem, saporem, aliasque suas proprietates conservent, pertinaciterq; retineant usque ad tentamentum magni vehementisque Ignis sine ullâ mutatione. Nam id pauculum eorum, quod in Vasis Destillatorijs remansit post longas violentissimasque destillationes; ac idipsum quod in flores sublimatum est, eandem semper albedinem, fragrantiam, ac denique gustum Salis constantissimè custodit: quod in Vitriolo neutiquam percipitur: hoc enim facillimè mutatur, varios colores adsciscit, separatur & in diversas*

& à ſeſe invicem valde differentes ſubſtantias abit. Ex hoc Diſcurſu talis Demonſtratio elicitur. Hypotheſis Salæ eſt:

Quodcunque Colore, Odore, Sapore, ac alijs proprietatibus, ratione item compoſitionis, generationis, ac examinis in Igne Spagyrici differt à communi Salium naturâ: illud non eſt propriè Sal:
Subſumo: Vitriolum hiſce omnibus differt à communi Salium naturâ:
Ergo Vitriolum non eſt propriè Sal.

Hæc eſt vera ac genuina demonſtrationis hujus reſolutio Logica. Quæ præterea in ipſo Diſcurſu habentur non pertinent niſi ad declarationem propoſitionis Minoris, ut cuivis videre licet.

Ideoque hoc tuum primum peccatum eſt in hac Controverſia, quod rationem Salæ non rectè reſolveris. Tu enim quatuor diſtinctos Syllogiſmos hic introducis, quibus ſuam theſin conetur probare Sala, eamque directè inferre: quum tamen, ut unicuique rectè judicij Logico patet, tantummodo unicum numero medium Terminum per unicam voculam cauſſalem is & proponat, & continuo diſcurſu perſequatur. Ac Syllogiſmorum tuorum primus, continet tantum particulam medij termini, quâ ſolâ, ut mea te reſolutio docet,

docet, negocium minimè conficit Sala. Secundus vero & tertius ut & quartus tuus Syllogiſmus: nullus eorum apud Salam quidem infert hanc Concluſionem: *Ergo Vitriolum non eſt Sal*; ut tu Sophiſticè hæc torques, ſed ſunt tantùm articulatæ probationes Minoris propoſitionis: & *ſecundus* quidem apud eam nihil plus concludit, quam hoc:

Quæcunque differunt, ut ſimplex & compoſitum, illa differunt ratione compoſitionis.

Sales generatim ſumpti & Vitriolum ita differunt.

Differunt ergo ratione compoſitionis.

Tertius verò ex mente Salæ ita formari debet.

Quæcunque ita differunt, ut alterum ſit productum ex peculiari, proprio ac particulari aliquo Ente, alterum ex quatuor diſtinctis Entibus accidentaliter concurrentibus: illa differunt ratione generationis: Atqui Sales in genere & Vitriolum ita differunt.

Ergo differunt ratione generationis.

Quartus denique in Diſcurſu præallegato non niſi hoc infert.

Quæcunque ita differunt, ut alterum colorem, odorem, ſaporem, aliaſq; proprietates ſervet ac pertinaciter retineat ad ten-

tamentum vehementis ignis, alterum vero secus: ea differunt ratione Examinis in Igne Spagyrici:
Sales proprie dicti & Vitriolum ita differunt.
Ergo differunt ratione Examinis in Igne Spagyrici.

Nihil ergo mirum si argumenta Salæ ais non magnæ subtilitatis tibi videri, quandoquidem nec subtiliter abs te resoluta sed fædè immaniterque distorta ac perversa sit tota Demonstratio: Quá in ordinem redactâ, nunc deinceps, quomodo tu ejus vim leni ictu declinare velis, videbo: idque hoc ordine, ut primò ejusdem Majorem Propositionem, deinde Minorem à tuis Objectiunculis vindicem. Quando autem totàm tuam Disceptationem studiosè percurro, & cum Demonstratione dictâ accuratè confero: video te sub ejus Majore ita subsumere satagere:

Primò: Sal Aquitanicus, Norwegianus, Cappadox, (quem tamen neuter fortè nostrûm vidit, vel odoratus est) Halensis, Hispanus *Colore differunt* à communi Salium natura.

Ergo hi Sales non sunt propriè Sales.

Secundò: Lunæburgensis, Armoniacus, Sodomæus

Sodomęus, qui ex Maris ſpumâ in ſcopulis creſcit, *differunt Sapore* à communi Salium naturâ.

Ergo hi Sales non ſunt Sales.

Tertiò: Sal Cappadox & Arabs *differunt odore* à communi Salium naturâ.

Ergo hi Sales non ſunt Sales.

Quartò: Inter ipſos Sales multi *differunt proprietatibus* à communi Salium naturâ.

Ergo inter ipſos Sales quidam non Sales.

Quintò: Sal Armoniacus *differt ratione compoſitionis* à communi Salium naturâ Compoſitus quippe eſt, fatente ipſo Sala.

Ergo Sal armoniacus non eſt Sal.

Sextò: Nitrum ex Vrina procreatum *ratione generationis* differt à communi Salium naturâ, fatente ipſo Salâ.

Ergo Nitrum quoddam non eſt Sal.

Septimò: Denique: Quidam Sales *ratione Examinis in Igne Spagyrici* differunt à communi Salium naturâ.

Ergo quidam Sales non ſunt Sales.

Sunt hîc concluſiones numero ſeptem: quas omnes tu putas eſſe abſurdas, contradictorias: Minores vero ſeu Aſſumptiones tuas omnes veras, Vnde neceſſariò

confiat falſam eſſe Propoſitionem Majorem in Demonſtratione Salæ. Reſpondeo: Vnuſquiſque horum tuorum Syllogiſmorum laborat *Paralogiſmo Compoſitionis & Diviſionis.* Quæ enim conjuncta tu impugnare debebas, ea diſperſa adgrederis ac diſſociata. Non à ſolo Sapore, non à reliquis conditionibus ſolum, per ſe, ſeorſim ac præcisè ſpectatis Sala petit Medium ſuæ Demonſtrationis: ſed uti ſuprà vidiſti, ab hiſce omnibus conjunctis. Itaque ſi tu Majorem illius Demonſtrationis impugnare volebas, repetere debebas in Minore tuâ totum illum Medium terminū, totum inquam, non tam miſerabiliter & ſophiſticè divulſum atque diſcerptum: non debebas de colore ſolo, de ſapore, deque reliquis ſeorſim ſejunctimque ſubſumere: quod quoties tu facis, facis autem tota Animadverſione ſatis ſtrenuè, toties ineptis ac nugaris, & quatuor Terminis concludis: Nec enim quod in Majore erat, idem in Minore repetitur Medium. Vnde etiamſi omnes tibi tuas Aſſumptiones largirer, non magis tamen formaliter ſequerentur iſtæ Concluſiones, quam ſi Aſinum eſſe hominem hoc Syllogiſmo contenderem:

Animal rationale eſt homo
Aſinus eſt animal
Ergo Aſinus eſt Homo.

Itaque

Itaque hac tua miſerabili, eaque ſeptuplice Aſyllogiſtia, plorare, ut merita eſt, juſsâ, ad Minorem me Demonſtrationis toties dictæ conferam: In qua adſtruenda venit Vitrioli à Salium communi natura differentia, eaque ſecundum ſeptem haſce conditiones, videlicet, ratione, Coloris, Odoris, Saporis, Aliarum proprietatum, compoſitionis, generationis, & examinis in Igne Spagyrici: Quæ quidem Differentia ex diligenti accurataque conſideratione ſequentis Medij innoteſcit: Vitriolum habet Colorem Saporemque Metallicum; calcinatum acerrimo & vehementiſſimo odore lancinat nares: hemeticum eſt & qualitatum ex parte metallicarum: non ſimplex, ſed ex Metallo, Sale, Aqua, Terra, idque accidentaliter, coalitum: In igne facillime mutatur, varios colores adſciſcit, & in diverſas & à ſe invicem toto genere differentes Subſtantias abit; quæ omnia ſunt à communi Salium natura quam alieniſſima. Concludo ergo optima Syllogiſmi forma Vitriolum illis ſeptem conditionibus à communi Salium natura diſſidere. Atque ita Minor in Demonſtratione Salæ clariſſimè adſeritur: ut jam nihil ferè ſuperſit, niſi ut Dubia quædam ex tua Animadverſione hic diluamus.

Dixi ſupra, quatuor tua Argumenta,

quæ ex Sala formasti (excepto primo, cui inter alia modò satisfactum) non spectare nisi ad Minorem ejusdem Demonstrationis: quæ quia huc pertinent, ideo de ijs hic agam, & quæ tu contra disputas, breviter confutabo. Recognosce igitur mecum quæ sub Titulo secundo tuæ Animadv. disceptas. Verba tua eruditione rarâ plenissima hæc sunt: *Salia ais sunt corpora simplicia, Vitriolum verò compositum: Illud lectis ingenijs simplex dicitur, quod non coaluit ex diversarum naturarum familia, & in has nequit dissolvi: Compositum cujus partes variæ sunt & distinctæ, quodque in diversas res per naturam dividi potest. Jam si negas hoc sensu Sales omnes æquè ac Vitriolum compositos falleris toto cœlo Omne enim corpus naturale præter Elementa compositum est non verò simplex. At vulgares Sales non sunt Elementa, sed Entia Physica ab Elementis distincta: Igitur composita. Sales communes vel componuntur ex tribus Principijs Chymicis, vel ipsi unum sunt horum Principiorum: Non credo te hoc posterius affirmare: Est quidem Sal è Tribus Primis unum; At non Sal Armoniacus, Lunæburgicus, Petrosus: ex his, inquam, uti Principijs non nascitur Homo, Aurum, Quercus. Constant igitur Sales omnes ex Tribus Principijs. Proinde compositi. Sic quoque compositum Vitriolum cujus fabrica*

non

non absolvitur Pluribus, quam iisdem tribus Sale, Sulphure, Mercurio; sive ut tu vocare mavis, Aquâ, Spiritu Sulphuris, & Minera Ferri aut Cupri. Vides hoc ipso Vitriolum à Salibus non distingui? Quid si tui ipsius consensu aliqui Salium communium sunt compositi? Citari potest ad testimonium Aphorismus 38. sect. 1. ubi hæc ponis: Sal Armoniacum ex duabus partibus est compositum. Et mox, Quoniam Sal armoniacum ex duabus tam acutis & subtilibus substantiis conflatur. Unde sic licet argumentari: Quicquid ex duabus substantiis componitur non est simplex. Nihilominus est Sal. Quo igitur jure quave injuria negabis Vitriolum esse Sal, eo quod est compositum? Non eo inficias Vitriolum fortè magis redolere compositionem, quam Sal Halense aut Aquitanicum: At nescis quid Logici nostri dicant magis & minus non variare speciem? In animalium genere alia aliis sunt compositiora, Homo magis quam Gallina, & hæc quam Lucius. Tamen omnia sunt Animalia, species unius generis, sic quoque Sal genus erit, cujus species Nitrum, Alumen, Saccharum, Ammoniacum, Vitriolum.

In hoc tuo Discursu omnium primò notare debeo, quod ais, Sales omnes æquè ac Vitriolum esse compositos, Vitrioliique fabricam non absolvi pluribus, quam iisdem tribus, quibus Salia constent, hæc inquam

inquam adſeris, neque tamen te negare ais, Vitriolum magis redolere compoſitionem, quam Sal Halenſe aut Aquitanicum. Hic tu ipſe judica, annon una eademque opera utrumque hoc dicas, videlicet, Vitriolum eſſe æquè compoſitum ac Sales, & non eſſe æquè compoſitum ac Sales: Contradictio liquidiſſima.

Secundò: quod Sales æquè ſint compoſiti ac Vitriolum, duplici argumento probas: Primum, niſi fallaciam ignorationis Elenchi incurrere velis, ita procedat, oportet:

Quæcunque æquè ſunt Elementata, æquè ſunt composita:
Sales ac Vitriolum æquè ſunt elementata.
Ergo Sales & Vitriolum æquè ſunt composita.

Reſpondeo: Minor Syllogiſmi falſa eſt: Sales enim ſunt ſimpliciter elementati: Vitriolum non ſimpliciter: Quippe ex Aqua quidem & Terra: ſed duobus inſuper Corporibus Elementatis Sale quodam ſive Spiritu Sulphuris, & Metallo compaginatum: ut vel hinc ratio ſimplicitatis Salium habita ad Vitriolum comparatione manifeſta ſit. Non prætereunda hic eſt miſeria tui Principij ex quo diſputas: ita ais; *Omne Corpus naturale præter Elementa compoſitum*

tum est non simplex: Hoc ego ad absurdum deduco subsumendo.

Cœlum & Tria Chymicorum Principia sunt Corpora præter Elementa: Non enim sunt Elementa, sed Entia Physica ab Elementis distincta:

Concludo. *Ergo Cœlum & Tria Chymicorum Principia sunt corpora composita, non simplicia.*

Pergo: *Quodcunque est compositum, ejus Partes, inquis, variæ sunt, & in diversas res per naturam dividi potest:*
Cœlum & Tria Chymicorum Principia sunt Corpora composita, uti per bonam consequentiam ex tuo Principio modo evici.
Ergo. *Cœli & Trium Chymicorum Principiorum partes variæ sunt, & ea in diversas res per naturam dividi possunt.*

Vide, quorsum absurditate tui Principij delabaris.

Nunc alterum tuum Argumentum aggrediar, ita disputas:

Quæ duo æquè ex Tribus Chymicorum Principijs componuntur ea sunt æquè composita.
Sales & Vitriolum æquè ex Tribus Chymicorum Principijs componuntur:

Ergo

Ergo Sales ac Vitriolum aquè ſunt compoſita.

Minor Propoſitio iterum falſa eſt. Nam neque Sales neque Vitriolum ex tribus illis Principijs verè conſtituuntur. Pro Salibus tamen tu ita pugnas:

Sales communes vel componuntur ex Tribus Chymicorum Principijs, vel ipſi ſunt unum horum Principiorum.
At poſterius falſum eſt: Verum ergo fuerit prius.

Reſpondeo in Majore non eſt ſufficiens enumeratio partium. *Datur* enim *tertium*, nimirum quod *Sales* ſint Chymicorum Principio *Sali* homogenea, quemadmodum eorundem *Mercurio* homogeneus eſt *hydrargyrus*: Tàm, inquam, ſunt ſimplicia Sal Lunæburgicns, Armoniacus, Petroſus, quam eſt Sal Hominis, quernum. Nullus horum Salium omnium ſcindi quit per naturam in partes diſſimulares & toto genere diſtinctas, Spiritus, Lapilli, Flores, & quicquid demum ex ijs Ars elaborat, quo Anatomiam Salium abſolvit. *Quercetanus cap. 16. Defenſ. Hermeticæ* non ſunt Partes eſſentialiter diſtinctæ, nedum ut toto genere diſcrepent: Quid enim quęſo *Lapilli* ſunt quam Sales fuſi, ſoluti, colati, & coagulati?

Quid

Quid *Flores*, quam Sales ſublimati? Quid *Spiritus* Salium, quam ijdem Sales, ſed volatiſſimi, agiliſſimi, ſubtiliſſimè adtenuati, diſperſi per aquam ac reſoluti? Vt proin hæc omnia ab ſe invicem non niſi accidentibus differant. Sales ergo Mercurio, Sulphure, Sale conſtare omninò negamus, neque tu tria hæc diſtincta Principia ex ijs realiter unquam ſeparaveris: quemadmodum nos tibi Vitriolum in partes has heterogeneas *Aquam, Spiritum Sulphuris, Metallum, &* *Terram* diſpartiemus: ut falſum quoque ſit amplius, quod dicis Vitriolum componi ex iſtis Tribus, nec pluribus, quam ijſdem tribus, Chymicorum Principijs.

Neque etiam ipſe Armoniacus magis, quam reliqui Sales eſt in partes diſſimulares diviſilis vel Vitriolo comparatus, minus ſimplex: Vtque eum cum Sala fateamur ex duabus ſubſtantijs compoſitum, propterea tamen non ſunt illæ ſubſtantiæ heterogeneæ, ſed maximè homogeneæ, utraque videlicet Sal, alterum volatile, alterum fixum, ut ex eodem Aphoriſmo diſcere potueras. Itaque expoſtulatio illa tua cruda & inſulſa remittet ſpero aliquantum, tum per hæc quæ modo adtuli, tum per ea, quæ ſupra pro Majore Demonſtrationis Salæ reſpondi.

Comparatio vero tua nimis eſt ridicula.

Non

Non enim differunt Sales & Vitriolum quoad compositionem secundum magis & minus, sed toto genere: neque ut Lucius à Gallinâ, hæc ab Homine. Omnia enim hæc sunt in partes dissimilares divisibilia: Sales vero si tu mihi in res diversas realiter dirimire possis, herbam tibi porrigam. Quia ergo illa tua comparatio vana est & frivola: nihilo majoris momenti sunt, quæ ex ea tanquam hypothesi deducuntur.

Porro quæ de Differentia generationis Salium propriè dictorum & Vitrioli contra Salam Titulo tertio disputas: in ijs primò omnium arripio ipsam Demonstrationem, per quam in familiam Salium Vitriolum adoptas.

Largior, inquis, *tibi hanc Propositionem.*
Omne verum Sal ex proprio suo Ente pronasci.
Ei vero hanc subjungo.
Vitriolum omnino producitur ex suo proprio Ente.
Concludo: Vitriolum esse propriè Sal.
Si quis ita argumentaretur.
Omnis Asinus est Animal.
Anonymus noster est Animal.
Ergo Anonymus noster est Asinus.

Quid tu huic responderes, Anonyme, nonne ad ferulas Logicorum eum, idque jure

Jure merito condemnares, qui ex puris affirmantibus in ſecunda figurâ concludere ſatageret? Faceres equidem, & nos quoque idem, & quicquid tu pro te ad hunc Syllogiſmum reſpondebis, idem nos pro Salâ ad tuum. Quam quoque rectè & ſolidè tu Vitrioli generationem accidentariam ante everteris, ut hic jactas, alibi eſt oſtenſum. Hîc vero, quum porro nos urgere velis Syllogiſmo, hunc viciſſim tibi pro Sala obponimus:

Quodcunque generatum eſt ex ENTIBVS QVATVOR *diſtinctis accidentaliter unitis, illud non eſt productum ex* ENTE *proprio peculiari & particulari aliquo,* (duas haſce particulas poſtremas licet in Diſcurſu Salæ expreſſiſſimas tu omittis, ut eo liberalius ſophiſticari poſſis:)

Atqui Vitriolum eſt generatum ex Entibus quatuor diſtinctis accidentaliter unitis:

Ergo Vitriolum non eſt productum ex Ente proprio, peculiari, & particulari aliquo.

Majorem Propoſitionem nemo neget, cui ſanum eſt ſynciput. Quatuor enim diſtincta Entia accidentaliter unita non poſſunt vere dici Vnum Ens proprium, pecu-

liare & particulare aliquod: Ita enim illa revera essent unum quid, quod implicat contradictionem. Neque est quod *Nitrum ex Urina procreatum* nobis objicias: illud enim non magis quam Salia reliqua omnia ex Ente constat proprio, peculiari & particulari aliquo, siquidem cum Vitriolo comparetur. Itaque ex hisce, quid ad impetuosi tui Syllogismi (per quem adserere vis, Vitriolum ex proprio & peculiari Ente pronasci) Majorem propositionem respondendum sit, procul dubio jam ipse vides.

Præterea Sales quoque colorem, odorem, saporem, in Igne non retinere demonstras Titulo quarto: Quomodo autem? *Multo alius*, inquis, *color Sali fuso, quam recenti:* Resp. Si alius, is non specie alius, quemadmodum in Vitriolo calcinato, sed quoad gradus duntaxat: magis autem & minus non variare speciem supra nos docebas. Pergis: *Quis nescit Sal ustum longe acrius esse non usto?* At quis hoc quoque nescit, ita non perdi saporem, sed intendi. *Sal Petræ si flammam concipiat annon ardet?* At quidnam tu inde concludis? Ergo Sal Petræ in magno vehementissimoque igne non retinet saporem, odorem, colorem? Atqui si hoc concludis ineptus es, neque unquam Sal Nitrum fudisse; in Lapillos redegisse; Spiritum ex eo distillasse;

cum

cum Nitro Gemmas aliaque Mineralia dura in Reverberio fortissimè calcinasse, unà testaris. Me quidem pudet diutius in hisce tuis argutiolis morari: quum tam calamitosè hic ineptire deprehendaris, quasi nunquam vel Salem quendam, vel Vitriolum Spagyricè tractaveris. Quod si de hisce alijsque quamplurimis alijs rebus, de quibus tam superciliosè & frivolè disputas, Vulcanum paullo rectius atque attentius consuluisses, non invitus sententijs Salæ subscripsisses, potius quam de rebus tibi incognitis contra Experientiam miserabilibus logomachijs disceptasses. Caudam denique quam trahit hæc tua Animadversio, eam satis superque præcident superiora; ad quæ te remittimus.

Interim si quid ad rem facit, hoc quoque moneo, quod dicis, Vitriolum nec per Artem, nec per Naturam, ex alijs Principijs, quam tribus istis, Aqua, Spiritu Sulphuris, Minera Æris vel Ferri posse oriri: Id de naturâ quidem verum esse de Arte falsum & inconsiderate abs te dictum. Hæc enim ex *Argento* eodem modo, quo ex Ære vel Ferro (nisi quod Argentum prius solvendum ac præcipitandum sit) conficit Vitriolum: id quod naturæ negatum est.

XIX. SVLPHVR VITRIOLI *Anodynum*.

NOndum libidini tuæ finem ſtatuis de Vitriolo nugandi. Quum de re narcotica ſcribas, nihil mirum ſi ipſa narcoſis ita mentem tuam ſtupefecerit, ut, quid ſit contradictio, jam non amplius agnoſcas: multoque hic rectius ſtuporem tibi exprobret Sala, quam tu illi oblivionem. Verba Aphoriſmi ſunt: *A Vitriolo non ſeparari ſubſtantiam, quæ de naturâ ſuâ ſine additione aut artificio extrinſecus accedente ſomnum queat provocare.* Hanc ipſam ſententiam tantum abeſt ut evertat Anatomia Vitrioli, ut potius apertiſſimè adſtruat & confirmet. *Extractum* enim illud *Anodynum* (rectiùs *Magiſterium*) *Vitrioli* minime gentium eſt ſubſtantia Vitrioli ſuâ natura hypnotica, ſed eſt talis per additionem & extrinſecus accedens artificium. Quod verò tu dicis, ex nullo medicamine elici ſubſtantiam, quæ ſine additamento aut artificio operari velit, id tametſi manifeſtò falſum ſit, acceptamus tamen nos, generoſe Heros, utpote quò, quod deſtruis, conſtruas. Si enim ex nullo medicamine elici quit talis ſubſtantia, non poterit quoq; ex Vitriolo. Quid tu ergo Contradictionem

nem in re quæris, ubi te ipso fatente nulla est. *Pressius*, inquis, *dicam & solidius:* Per me licet levia sint & futilia reliqua omnia quæ scripseris; videbimus tamen quid solidi afferas.

Extractum, ais, *Anodynum illud, aut à Vitriolo virtutem Anodynam habet, aut à Spiritu Vini.*
Non ab hoc: Ergo ab illo.

Respond. Major Propositio tam arduâ seriâque Disputatione prorsus est indigna. Datur enim tertium, nimirum quod ea vis non sit ab alterutro seorsim & præcisè spectato; Sed à certa debitaque Conjunctione utriusque: quale quid in Chymiâ novum non est, præsertim in Magisterijs.

Quando tu ergo quæris, num Spiritus Vini Vitriolo imprimat qualitatem soporiferam atque Anodynam, siquidem negatè respondeamus, tamen id minimè facimus, tuis rationibus victi. *Spiritus*, inquis, *Vini eam non possidet, & quod rei non inest id res de suo elargiri nequit.* Hac enim ratione neque Spiritus Vini ebrietatem conciliet; neque cos ferro elargietur acuitiem; neque sol calorem in hæc inferiora imprimet. Nimis ut trito ita lato atque amplo uteris Principio ad probationem rei, quam tibi

ultrò ſimus conceſſuri. Neque tamen ob id conſequens ſtatim eſt, à Vitriolo Spiritum Vini imbui qualitate Opiaticâ, niſi priùs firmiſſimè demonſtres, dictam toties qualitatem narcoticam non enaſci ex debitâ utriuſque conſociatione & concorporatione. Nam, quod tu dicis, Spiritum Vini, *eadem quantitate*, qua affuſus erat, abſtrahi, idque Salam fateri: id verò falſum eſt, nulloque litterulæ apice ex Salâ demonſtrabile, quum hic illum jubeat abſtrahi duntaxat *ad remanentiam Liquoris Oleoſi*. Parcere debueras candori tuo, quem tam turpi commento non leviter proſtituis. Quid multa? Niſi, ut dictum eſt, ſufficientiam hujus tuæ Disjunctivæ: *Aut eſt à Spiritu Vini, aut à Vitriolo*: probes, vana ſunt omnia & inania, quæ contra diſputas: Nos enim tertium hîc dari tam diu pro rato firmoque habebimus, quoad tu contrarium eviceris.

XX. MERCURIALIUM REDUCTIO.

MErcurius quocunque ſchemate tegatur, reducitur per Tartarum. Hæc ſententia apud Salam eſt indubitata. Tu tamen à Tartaro nihil pati tuam *Aquam Mercurialem ſcribis*. Si quidnam hæc ipſa monſtri

monſtri ſit unà indicaſſes, data à nobis opera fuiſſet, ut hac de re minime amplius dubitares.

XXI. AURUM POTABILE.

IN hac Animadverſione de Auro Potabili duo moves, quæ ſingula digna ſunt, uti accuratè diligenterque expendantur.

Primò Salæ ſententiam lancinas, ſed pace tuâ dicam, minimè intellectam. Pronunciatum ejus eſt, *ab auro non poſſe ſegregari ſubſtantiam potabilem: ſed quomodocunque præparetur, redire denuò in aurum.* In hoc quinque tu Objectiunculis inſurgis: Primo *Aurum Potabile Franciſci Antonij Londinenſis*, quod hic neget reduci, objicis. 2. Si Aurum liquido & inſipido liquore, cujus hactenus memineris, ſolutum, convertitur protinus in fluidam ſubſtantiam, abs quâ Liquor iſte totus tingatur, annon hoc pacto reddatur Aurum potabile, non ſine ſupercilio tu quæris? Tertiò: Contradictionem impingere vis Salæ, quod is dicat Auri Magiſterium cum ſuo proprio Solvente præparatum rectè dici Aurum potabile: Vbi Atrienſem tibi dari poſtulas qui hanc ſententiam cum priore ſolidè conciliet. 4. Fateri inſuper Salam, quod Aurum à ſuo Menſtruo ſeparatum

ſit quaſi mortuum: Mortuum certè Aurum verum Aurum non eſſe, non magis, quam mortuus homo ſit homo. Quod ſi jam poſt abſtractionem Menſtrui Aurum jam amplius non eſt Aurum, ſed Auri cadaver, utique præparari Aurum potabile, quod jam amplius non poſſit reduci. 5. Ingentibus laudibus abs Salâ efferri Aurum potabile, quod ſi humana induſtriâ parari nequeat, fruſtra abs Sala commendari. Quamquam vero hæc omnia abunde diluat recens edita Salæ *Chryſologia*: tamen impræſentiarum tibi quoque ſatisfaciam.

Ad *primum* ergo reſpondeo: Tam vanum eſſe, quod *Franciſcus ille* Aurum ſuum potabile eſſe irreductile glorietur, quam frivolum, quod perſuadere nobis auſit, idem ſine Corroſivo tum confieri tum ſubſiſtere. Certè qui guſtum non in calcaneo habet, omnino ſentiat, linguam id nihilo lenius afficere Magiſterijs Coralliorum, Perlarum, Gemmarum, Antimonij cum Spir. Aceti confectis: Ita qui Stochaſmo Pyrotechnico non ſit penitus deſtitutus, eum ad modum ab Artifice hoc deprehendat tractari Aurum, ut planè maneat Aurum, tametſi ſub formâ adſcititiâ: quam Solventi Corroſivo, cui unitum eſt, unicè debeat, à quâ ſeparari omnino poſſit ac reſtitui. Sic argumentor.

Si Spa-

Si Spagyrus iste ita præparat Aurum, ut non sit amplius reductile, hoc facit vel in Calcinatione Auri, vel Solutione; vel Elevatione per Alembicum:
At nec per Calcinationem, nec per Solutionem; nec per Elevationem per Alembicum Aurum is suâ metallicâ formâ exuit.
Ergò Aurum non ita præparat ut sit irreducivum.

Major est sufficientissima: quum istis tribus absolvat totum suum Processum Auri potabilis faciundi. Minorem quod adtinet: De Calcinatione quidem quod volumus non invitus concesserit ipse Antonius: quippe qui ejus merito duntaxat præparari ad solutionem perhibeat Aurum. At nec per solutionem Aurum evadere irreductile, probo. Auro calcinato Aquam suam Raymundinam affundit toties ac digerit, usque quo non amplius coloretur: Aquam coloratam per Balneum edistillat ad remanentiam mellaginis in quocunque Liquore solubilis. Hæc est solutio, cujus vi metallicam formam destrui, adeo ut in nullum corpus reduci amplius possit, disertissimè fatetur. Vel coloratam aquam per Cineres elevat ac distillat. Ita Menstruum cum Essentiâ Auri mixtum transcendere putat, relictâ in Vase Destillatorio Terrâ Auri ni-

grâ & ſiccâ, veluti re mortuâ ſpongioſâ ac levi. Deſtillatum in Balneum collocat, blandoque calore Menſtruum evocat. Quo facto in fundo ait relinqui Tincturam Auri per Spiritum Vini ſolvendam & clarificandam: Ex hiſce ita infero:

Si in Elevatione per Alembicum Aurum adhuc retinuit ſuam formam metallicam, eandem multo magis retinuit in ſolutione per Aquam Raymundinam factâ: Sed verum eſt prius. Ergo & poſterius.

Connexionem Propoſitionis Majoris ita probo: Quia elevatio per Alembicum in Proceſſu Antoniano gradus eſt Solutione tum poſterior tum ſuperior: Si itaque in ſuperiore ac poſteriore gradu Aurum adhuc Aurum eſt; multo magis erit in inferiore & priore. Minorem ita probo: Quia ſi realis fiat Tincturę ex Auro extractio, reſidua illa terra nigra erit inutilis & abijcienda. Ad quid ergò verba illa Antonij noſtri dicentis: *Non tamen proijcias has terras, quæ ſunt nigræ & ſiccæ, vt ſuadet Philoſophus?* Profecto Tincturâ Auri extractâ, alga foret vilius caput mortuum, quod tamen minimè projiciendum ex Decreto Philoſophorum ſuadet noſter: Quare verò? Dicam & præfiſcinè dicam, Quia illa Terra nigra & mortua eſt bonum & malleabile Aurum, quod

quod reducere tam in proclivi sit, quam est imber, quum pluit. Velit igitur nolit, fateatur oportet, in Solutione sub sua formâ metallica perstitisse adhuc Aurum, siquidem ipsa Solutio per Cineres edistillata, reliquerit Terram nigram & siccam, quæ tamen ex ipsius Auctoris confessione minimè obscurâ sit Aurum.

Porrò, id quod per Cineres elevatum est, Menstruum scilicet, Quinta ut ait essentiâ, seu Tincturâ Auri mixtum, *Aut continet veram ac realem Tincturam Auri; Aut Aurum reductile, aut nihil de Auro.* Neque enim quartum dari potest. Posterius si affirmaverit, rem confectam habebimus, ipseque fuerit ridiculus. Neque etiam prius potest adserere ex ratione: Qnod si enim veram Tincturam ex Auri Corpore extraxisset, residuum illud Caput mortuum verè Aurum esse desiisset; Vt taceam eodem modo, quo Aurum cum suo Menstruo hic tractavit Antonius, etiam Cerussam cum Spiritu Aceti posse solvi, quæ Solutio in Balneo digesta non leviter flavefiat, adque mellaginé aureæ simillimâ adducatur: hęcq; similiter per Cineres edistillata tum transmittat in Recipiens Liquorem, ut hic, ubberrimum, tum in Vase Destillatorio relinquat Terram nigram levem ac spongiosam. Ex qua re non tamen statim argu-

mentari

mentari liceat ad Tincturam ex Plumbo extractam, ut hic homo, de Aurô hoc loco facit, quum talem illud nec natura habeat, & caput mortuum ſaponi mixtum de facili nobis verum Plumbum reddat. 2. Veræ Tincturæ omnes hoc ſibi habent proprium, quod quanto magis Menſtruum abſtrahatur, tanto magis ipſorum colores inſpiſſentur. Noſtra vero hæc Tinctura ☉ ruberrima, ſolideſcens, ad figuram ſaliformem coloremque ex pallido nonnihil flaveſcentem prolabitur. Non igitur Menſtruum per Cineres ediſtillatum continet veram ac realem Tincturam Auri. Ergo Aurum reductile, id quod erat demonſtrandum.

Accedit hiſce omnibus miſerabiliſſima contradictio Antonij, qui poſtquam Aurum formâ ſuâ metallicâ mediante ſolutione, deſtruxiſſe (quam verè, modo patuit) gloriatus eſſet, mox tamen ſubdere audet, iſtam ſolutionem eſſe ſub conſervatione ſuæ ſpeciei. Contradictio palpabilis. Simul enim atque Aurum ſua forma Metallica exuitur, exit è ſuo Genere & deſinit eſſe Metallum. Genere autem ſublato, tollitur una ſpecies. Qui negat te eſſe Animal, negat te eſſe hominem. Quod non eſt Metallum ne poteſt quidem Aurum eſſe. Hic tamen homo frontem perfricat, ut perſuadeat nobis

Aurum

Aurum desiisse esse Metallum, & sub specie tamen sua conservari, quo quid dici queat absurdius?

Ipsa denique *Reductio* nostræ adsertioni manifesto suffragabitur. Accipe Aurum potabile ad siccitatem redactum, idque cum Salis Tartari q. s. bene concorporatum in igne satis vehementi per quauor aut quinque horas continuas torre, ut Spiritus Salini & corrosivi, quorum merito in isthanc formam redactum est aurum, per hostem suum absumantur. Deinde exime materiam, & projice in frigidam, quod subsederit in fundo exime, & ope ignis fusorij in Tigillo granum unum atque alterum Auri repperies. Pluribus quidem rationibus à qualitate Menstrui, à proportione ponderis Auri, ante & post præparationem, desumptis poterat contrà hominem pertinacissimum disputari, siquidem ipsi præparationi à Capite ad Calcem liceret interesse: Sed hæc hîc loci sufficiant.

Opinione jam Francisci Antonij, quam tu in primâ Ratiuncularum tuarum acie collocasti, tanquam imbelli milite, vel exarmatâ vel exautoratâ, consequens est, ut reliquas tuas quisquilias everramus.

Ad *secundam* ergo Rationem tuam repono tibi, quod de Insipido tuo Solvente iterùm nugeris, id misericordia magis, quam

quam refutatione dignum videri. *Si* tamen maximè tibi concedatur, posse te in liquore insipido resolvere Aurum, ut aptum fiat potui: quid tum postea? Illa Solutio non magis dici posset *Substantia ex Auro segregata*, seu, ut tu scripsisti *separata, irreductilis*; quàm Solutio Auri in Aqua Chrysulca facta: neque eadem sunt, *conversio* Auri in liquorem, & *substantiæ liquidæ ex Auro separatio.*

In *tertiâ* tuâ ratione nimis est præcox, quam parturis contradictio, multoque rectius pro Atriense Conciliatore optasses eum, qui *terminum Magisterij* tibi explicaret: quod facere potest *Paracelsus initio 6. Archidox:* Ipse etiam *Sala Libell. de Septem Planet. Terrestrib.* quos adi, videbis, *Magisterij notionem* esse hanc, quod sit *Corporis cujusdam, citra separationem substantiarum, quibus constat, per conjunctionem Menstrui appropriati exaltatio.* Iam vides, qui dicit, Magisterium Auri esse verum Aurum Potabile, eundem unà eademque opera hoc dicere: Aurum sine substantiarum quibus componitur, separatione, & per consequens integrum, redigi in formam bibi aptam; atque adeò negare, ab Auro separari, sive segregari (*separari* inquam, *non fieri*, veluti tu ineptè & inscitè substituis) substantiam potabilem: negare item,

item, Aurum in formam potabilem adductum esse irreductile.

Ratio tua *quarta* ludit in vocabulo MORTVI. Quum per Menstruum, cui unitum est Aurum, vastam Corporis matallici molem discontinuari, subtiliari, dilatari ac recludi, atque adeo vires Auri è Centro quietis in Peripheriam educi Sala adsereret, rectè unà statuit, id separatum à Menstruo esse quasi mortuum, non quod aurum esse desierit actu primo seu quoad esse; sed actu secundo, seu quoad operari; ideoq; nec simpliciter sed *quasi mortuum* dicitur.

Quintò deniq; quæris, quur Magisterium Auri tam magnis laudibus efferat Sala, si id neget dari? Respondeo: non negat hoc dari, sed negat dari substantiam potabilem ab Auro segregatam. In tui gratiam dicam clarius. Negat Aurum Diacrisin Chymicam ullo modo sustinere, nedum ut ex eo possit verè ac realiter secerni potabilis essentia: Et si maximè posset Analysi Spagyricâ Corpus Auri dirimi: tamen nihilo magis liquidas & sorbiles partes habere deprehenderetur, quam habent Metalla quatuor Imperfectiora: quæ non nisi in partes siccissimas, Vulcano teste, rescinduntur. Interim verè affirmat Sala. Aurum integrum ac indivisum ope Solventis appropriati adduci in formam potabilem & medico

medico usui accommodatissimam, quam uno nomine Magisterium vocant, ex quâ id rursus erui possit, & in metallum remeare.

Atque hactenus fuit prima Exercitationis nostræ pars: Sequitur *altera*, quam Illustrissimi literatissimique Herois *Iulij Cæsaris Scaligeri* defensioni adversus tuam frivolam disceptationem destinavi.

Hieronymi Cardani pronunciatum est: *Optimè vitæ longitudini consultum iri, si Aurum absque Erodente aliquo in Aquam quandam vertere licuerit.* In hoc ipsum *Exercit: 272.* invectus *Scaliger: Iam hæ fœdæ nugæ sunt*, inquit. *Namque humanum anteponam sanguinem. Nihil enim similius. Is vero qui Auro vescetur Aurum fiet. Cujus natura quum longissimè distet à naturâ nostrâ, neutiquam nostra per illam licebit instaurari. Quod si liquare vis Aurum ut penetret, æquè bene in corpuscula Individua, quæ vocant Arabes Alcohol redactum poterit se insinuare. At si erit immutabile, immutabile quoq; in sua Aqua futurum est. Ejusdem namq; & formæ & materiæ, & ponderis ratio, aut non Aurum fuerit. Profectò etiam liquefactum æquè incoctile futurum prædico.* Hoc ambitu continetur divini Viri de Auro Potabili sententia tum gravissima tum verissima: In qua vides tanquam *hypothesin* constitui ac præsup-

poni

poni hoc, quod *Aurum sit immutabile, quocunque etiam tractetur modo*. Itaque siquidem contra Scaligerum disputare statutum erat, oportebat te primo loco, hoc quod toti disputationi suæ is fundamentum solidissimè, ni fallor, substravit, evertere, quod nullus facis. Tantùm superficialiter quædam, ipsa hypothesi intacta, delibas, quæ qualiacunque etiam sint, breviter perstringemus.

Ac de *sanguine humano* primùm objicis, *eo vesci esse abominabile ac horrendum*: Verum aliter atque tu sensit antiquitas, aliter *Plinius*, *Celsus*, *Scribonius*, *Paulus*, ipse etiam *Aretæus*, qui eum epilepticis vel propinarunt ipsi, vel viderunt propinari. Non tam delicata atque tu fuit *Faustina Antonini Cæsaris* filia, quam *Julius Capitolinus in vita Antonini* scribit, hausto sanguine gladiatoris, quem deperibat, liberatam fuisse ab amore. Sunt hæ operationes *Mumiæ* spirituali in Sanguine hospitanti acceptæ referendæ: qua de re hujus loci non est pluribus agere: Interim vide Paracelf. Parte 9. Tractat. 3. Philosophiæ. Quod si tamen tibi tenello abominabile id videtur, nobis multo absurdius, vesci auro: quod quum immutabile penitus sit, quamnam alloeosin suscipiet à calore nostro Atque ob id multo similiter ipse sanguis, etiam te fa-

rente ipſo, quandoquidem tot in corpore noſtro mutationes ſubeat. Nec pro cibo fuerit Sanguis, ſed pro medicamento: Et quid non fandi infandi vorent homines ſi cum vitæ bono & emolumento fiat? Fætidiſſima vorant hyſtericæ: Album Græcum hydropici: Cranium furis, ejuſque Oleum putidum Epileptici; Video etiam in ſcriptis Italorum eorumque non incelebrium Medicorum Stercus aſininum potionibus infartum, ad quas vel Polyphemus aliquis cohorreſcet: Et hæc jucundiora putemus ipſo ſanguine? Subjungis: *Non poſſe tam ſolidum ſubitumque adjumentum ſperari à ſanguine, atque ab Auro potabili.* Quamobrem vero? *Quia,* inquis, *nullus tam purus ſanguis qui non recrementis deturbetur, ſequeſtrandis prius, quam quod ſalubre in eo eſt, redundare in commodum partium poſſit: Nullus ſanguis adeò nobis ſimilis, quin multifarias in Corpore noſtro mutationes ſubeat. At Aurum ſorbile utroque vitio carere, nam nec impuras, nec excrementitias, nec inutiles partes continere, & Spiritus humoremque primigenium, deſubitò atque ἀθρόως, inſtaurare & noxia quæque ex corpore expungere.* Reſp. Ratio tua nulla eſt: Nam, ſi impurus eſt ſanguis, ſi excrementis ſcatet, Chymiæ induſtriâ depuretur, ſubtilietur; educatur, quod eſt ſpirituale, ex vinculis & compage corporis craſsâ & feculentâ;

feculentâ; & à colluvie impurâ Balſamus Cœleſtis & puriſſima Mumia illa ſegregetur, tum hæc objectio ſua ſponte corruet. Hoc primum eſt.

Secundò: Si Sanguis propterea nequit eſſe reſtaurando, quia partes continet impuras, excrementitias, inutiles, vides hoc ipſo medio etiam concludi poſſe, quod ne de vino quidem verum ſit, quod ſcribis, illud reficere: namque & hoc continet partes excrementitias, inutiles, impuras, Tartarum videlicet, & Phlegma.

Tertiò: quod dicis, Spiritus humidumque radicale deſubitò atque ἀθρόως ab Auro potabili reſtaurari: id quia in quæſtione eſt, bene quidem tu audes demonſtrare, ſed ætiologia tua minus bona eſt. *Quia*, inquis, *ejus ſubſtantia ætherea, ſubtilis, puriſſima proportione reſpondet Elemento Stellarum: Inſtauratio autem à ſimilibus.* Non poteras principium manifeſtius petere; atque hoc nugamento facis. Quod namque tu probationis loco affers, hoc eſt, quod tantoperè negat Scaliger. Si enim Aurum Potabile eſt talis Eſſentia, qualem tu deſcribis, tum in Auro Potabili, Aurum fuerit non Aurum. Exierit enim è ſua formâ metallicâ, & eſſe Aurum deſierit. At hoc quomodo fieri poſſit, tuum fuerat, ut ſuprâ quoque dixi, demonſtrare, aliàs enim

ne verisimilitudinem habitura sunt, quæ tu contrà disputas. Rectè enim Scaliger ipsum etiam Aurum liquefactum metallicam suam formam adhuc retinere adseverat: quam si amitteret in Auro potabili, amiteret certè propter additum Solvens: At hoc Aurum nullo modo destruere potest. Nam si nullâ Ignis vi Aurum potest destrui, multo minus destruetur à Liquore Corrosivo: Si à Liquore Corrosivo non destruitur, multo adhuc minus à Liquore blando & non erodente. Ignis profectò major vis est in destruendis Metallicis Corporibus, quã Menstrui Corrosivi, & hujus item major in Solvendo vis, quã blandi ac insipidi Liquoris. Imperfectiora Metalla Ignis destruit, comburit, ac in Scorias seu Cineres vitrificantes redigit, quę non amplius in suũ corpus reducantur: At eadem in Liquoribus Corrosivis soluta, tantum abest, ut destruantur, ut semper in Metallum redire possint. A blandis verò & insipidis Liquoribus omninò nihil patiuntur Metalla. Ex quo necessariò consit Aurum Sorbile, quocunque etiam in Liquore subsistat, metallicæ suæ formæ particeps esse, non minus atque quando est in Aqua Chrysulcâ resolutum. Vnde porrò ita contra te infero.

Aurum metallicæ suæ formæ particeps non potest

potest Spiritus ac humidum radicale restaurare, nec dici Substantia ætherea, subtilissima, spirituosissima: Hæc enim est tua ipsius hypothesis, & in ipsa tuâ disceptatione clarissimè proponitur.

At quicquid de Auro est in Auro potabili, est Aurum metallicæ suæ formæ particeps, ut modo demonstravi.

Ergo quicquid est de Auro in Auro potabili non potest Spiritus ac humidum radicale restaurare, nec dici substantia æterea, subtilissima, spirituosissima.

Quarto: Assumo hanc tuam Hypothesin:

Cujuscunque substantia est æterea, subtilis, spirituosissima, illud est efficacissimum medicamen reficiens.

Subsumo: *Sanguinis humani spagyricè exaltati Essentia est talis substantia.*

Concludo: *Sanguinis humani Spagyricè exaltati Essentiam esse efficacissimum medicamen reficiens.*

Pro Minoris aliquali intelligentiâ remitto te ad *Aph. 19. sect. 2.* Imo potiùs ad ipsam Analyseos Spagyricæ evidentiam, quæ satis confirmabit, subtilitate, puritate, & vividâ Spirituosâque vi nulli Specierum Chymicarum Essentiam Sanguinis cedere, ut ni-

ut nimis præceps ac temerarium de re tibi incognita judicium ſumpſeris, quando ſcribis, in deliquijs animi fruſtrà à Sanguine humano opem peti. Ego dictam illam Eſſentiam ſanguinis in Apolexia, Catarrho ſuffocativo, Suffocationibus Vteri, Epilepſia, Syncope efficaciſſimè-ſalutarem expertus ſum.

Quintò: Duo adhuc alia Emblemata ſunt in tuo Diſcurſu obiter nobis contemplanda: quorum primum Medico Hippocratico & Rationali indignum eſt, alterū ſeſe ipſum evertit. Ais, Aurum potabile *noxia quæque* ex Corpore expungere: Ita unum Medicamentum omnibus Indicationibus & Scopis evacuandi poterit ſatisfacere: quod nemo dicat, niſi qui cum ratione velit inſanire. *Alterum* eſt, quod uni eidemque Auro potabili adſcribas & facultatem noxia quæque ex corpore expungendi, & ſimul Spiritus ac humorem radicalem reſtaurandi. Aſyſtata hæc ſunt, & in una re ſubſiſtere ſimul nequeunt: alterutrum elige: utrumque eſſe ſimul non poteſt.

Quamobrem, Eruditiſſime Vir, ire tibi licet, & cum Vino, cumque Cantharidibus, Aurum tuum poculentum conferre, inque his ſimilitudinibus inſtar diſertiſſimi Rhetoris plaudere & exſultare, cogere nos etiam, ſi lubet, ut quæ tu dicis,

credamus:

credamus: Nihil profectò profeceris, quamdiu inconcussa steterit hæc Scaligeri Hypothesis: Aurum esse immutabile etiam in sua Aqua solvente.

Ex qua Hypothesi porro hanc sententiam deduxit Scaliger: *Qui Auro vescetur, Aurum fiet.* Quum enim pro firmâ atque immotà Hypothesi statuisset Aurum esse immutabile, omninò, siquidem id partibus in nutrimentum cedere dicatur, statuendum quoque fuerit, eas futuras aureas. Nam tum aut Partes Aurum in suam naturam convertent; Aut Aurum partes in Auream: Sed prius est contra Hypothesin, Ergo posterius verum fuerit, idque, ut jam vides *ex Hypothesi, non simpliciter.* Facessat ergo facetiuscula tua nec nisi te digna illusio. Vitulina, Vervecina, Fœnum, Cardui omnia sunt mutabilia: At Aurum est manetque Aurum. Quare per nos licuerat tibi supersedere illa curiositate, qua Caloris animalis vim in concoquendis invictis illis Metallis explorare voluisti. Habent tamen quo nomine tibi gratias agant alij; Cumprimis *Leonhartus Fioravanta:* quem quum tu *excellentissimum Italiæ Chymicum* vocas, *Cratonis* gravissimo judicio præjudicas, oblitus insuper, quod is in hoc ipso de Auro Potabili negocio, minimè dignum sese illa tua laude præstiterit.

 Cœterùm,

Cœterum, ad collationem illam, quam inter Aurum in Alcohol redactum, & Potabile redditum ſatis verboſè inſtituis: ego viciſſim hæc tibi regero: Quodcunque de Auro in Auro potabili ſubſiſtit, id eſſe verum Metallum, & proin æque crudum ac pulverulentum, nec magis à calore noſtro vinci poſſe, atque hoc; ac ridiculos eſſe tum Chymicos, qui perſuadere nobis velint Menſtruum Metallicam formam poſſe adimere Auro, quod nullâ vi Ignis queat immutari; tum etiam illos, qui propterea negent Aurum eſſe cujuſquam in Corpore humano efficaciæ, quia nequeat à calore noſtro ſubigi: Aurum potabile, liquidum quidem eſſe ac molle, propter additum Menſtruum: At quia Aurum in ipſo retinet ſuam formam metallicam, ideo etiam Aurum per id nihilo magis coctile fieri: Præparata quidem non præparatis plus poſſe lubentes nos fateri, Aurum etiam potabile debitò modo præparatum Magiſterium Bezoarticum eſſe primæ notæ: At propterea Aurum potabile Spiritus ac Humidum radicale reſtaurare minimè poſſe, ſaltem ex parte Auri: Hoc enim metallicam ſuam formam, ut toties dictum eſt, ſibi habere & conſtantiſſimè ſervare, nec ut hanc amittat, ulla arte præparari poſſe: Potabile redditum penitius quidem ſeſe inſinuare, propter vehiculum

culum à Menſtruo additum: At nullo modo in ſubſtantiam partium concedere, in quam non magis convertatur, quam pulverulentum: Eſſe enim ac manere verum Metallum: Ac Menſtruum quidem à Calore noſtro vinci, Aurum manere ſuperſtes & intactum, ſuæque immutabilitatis perpetuò particeps, quàm non magis deponat, quam pellem ſuam mutet Æthiops: Aliam denique eſſe rationem Alimentorum crudorum; aliam Auri: Illa Coquinæ operâ ſubigi, ut eſui apta fiant: Aurum verò nullo mutari nec Igne, nec Menſtruo, nec modo.

Quod ſi autem à me porro quæras, quanam vi in humanum corpus agat Aurum, quum nullam mutationem ſubeat: Reſpondeo tali, quà *Chalybs* obſtructiones Viſcerum contumaciſſimas expedit, quâ robur iiſdem afflat, quá Vomitus, Diarrhœas ſiſtit: Qua *Lapidem Cæruleum* Elephantiaſi deſperatiſſimæ mederi Scaliger hoc loco ſcribit, alij Affectibus Maniacis & atrabilario humori purgando adpropriatum experiuntur: Quare non debebas tam pueriliter argumentari: Aurum ideo nullarum eſſe virium, quia nihil quidquam à Calore noſtro patiatur. Non patitur quoque Chalybs, non Lapis Lazuli, non alia fixiora Metalla, quorum tamen vis medica-

trix est cognitissima, sed non nisi à posteriori, à priori est investigabilis, occulta & inexplicabilis. Talis quoque vis Auri: quod quum nullo mutetur modo, quî tamen possit in Corpus nostrum agere disquirens Scaliger, caussam reicecit in Splendorem, quem Spiritibus imprimeret: Per *Splendorem* credo occultam illam ac spiritualem vim Bezoarticam intellexit, eamque non nisi Auro propriam, ut frivolum proin sit, quod tu de splendore Crystalli, Vitri objicis. Si verò ulterius quæras, quomodo Spiritualem illam vim Spiritibus communicet Aurum: non equidem me pudet cum Heröe nostro profari *illud ingenui candidiq; animi verbum:* NESCIO: vel cum eodem fateri: *Humanæ sapientiæ partem esse quædam æquo animo nescire velle.* Si tamen morosius instes, quæro ego abs te vicissim, quomodo vis Vomitoria communicetur Vino, in quo infusum fuerit frustulum Vitri Antimonij: Et tamen huic nihil vel de substantia seu pondere, vel de qualitate hemetica decedat, id quod hodiè vel in tonstrinis est notissimum? quomodo item superiùs commemorata in suum quodque objectum vires suas depromant? Nihil horum fuerit verum, tuis frigidis argumentatiunculis si credendum sit. Quantò commodiùs fiat, si contenti simus *Accidentium*

egressione,

gressione, quod si ullo Philosophiæ flagitio evenire potest, sicut odores exire sentimus manifestò, inquit Scaliger noster *Exercit. 344. sect. 34.* Ideoque ut verborum compendium faciam, hæ similesque aliæ qualitates ut sunt spirituales seu formales, seu magneticæ, ut Recentiores Spagyrici adpositissimè vocant; ita suis Objectis non communicantur nisi spiritualiter, formaliter magneticè, minimè gentium materialiter seu corporaliter. Quibus ita decisis, operæ precium non est plura aggerere, sed ad reliqua nunc deinceps progredi, tempestivum.

XXII. AQVÆ VEGETABILIVM.

A Prima Aphorismorum sectione ad secundam nunc transsilis: in qua ab *Aphorismo 12.* facis initium animadvertendi. Potissima tuæ contentiunculæ pars *homonymiâ Aquæ* implexa est, quâ expeditâ satisfacere jam tibi quibis ipsi: sumitur autem Vocabulum Aquæ in Chymia vel pro *Phlegmate* Vegetabilium, quod hic loci per *aquas simplices* subintellexit. Sala; vel pro eorundem *Liquore Mercuriali.* Prioris significati Aqua expers est virtutum sui Vegetabilis, expers quippe & Sulphuris & Salis: Posterioris, non item: sed aliqua ex

parte

parte ut prædita essentijs quibusdam volatilioribus, ita per consequens vestigia quædam virium habet ipsorum Vegetabilium; Hujus generis sunt Aquæ Cinnam: Anisi &c. pro quibus tu dimicas: Tales item, quarum expresse meminit, quasque Aquis Simplicibus manifestò contradistinguit Aphorismus: quæ ipsæ non sunt aquæ simplices hoc est sincera Phlegmata, sed Liquores Mercuriales, participes volatilioris vel Sulphuris, vel Salis, vel utriusque. Dico, *aliquâ ex parte:* Ijsdem enim prolectis potissima pars Sulphuris solidioris, & Sal fixum totum fiunt reliqua. Hæc Distinctio tuis argutiolis applicata, fervorem, ut spero, illarum aliquantisper sedaverit. Hoc *primum* est, quod monuisse non sit nullum operæ precium. Reliqua in tua Animadversione non sunt nisi inanes gerrę, vix dignæ, quæ legantur.

Vt enim *secundò* notemus, quæ de *Usu Aquarum* repetis, scias, illas ex sententia Salæ servire *potissimum* pro vehiculis: qui potissimum dicit, non dicit illimatè, veluti tu hæc iniquè pervertis. Et quidnam vult sibi Ratiuncula tua? Anne enim propterea, quia Aquarum usus est, ad morbos, quibus ipsa Vegetabilia inserviunt; ideo ipsæ Aquæ desinunt esse Vehicula? Imo vero ob id magis sunt vehicula, accommodata

quippe

quippe tum non tantum Parti affectæ & Medicamento devehendo, sed & ipsi morbo. Quuomodo igitur evertatur *Ternarius Bezoarticorum*, uti tu crocitas, non sum equidem tam lynceus, ut videam.

Tertiò: Rationem Salæ tibi ais non placere: Nobis verò multo minus tua Rationis solutio, neque etiam ulli, credo, bono Logico placebit. Pronunciatum Salæ est: *Aquas simplices Vegetabilium destillatas non habere in se qualitatem prædominantem, Virtutesque Corporum à quibus eliciantur: Albæ enim quum exsistant & insipidæ, facilè dispici, quod Sulphure & Sale sint destitutæ, à quibus tum virtutes principes, tum Color (per colorem* non nisi *Tincturam*, ut ex Aphorismo constat, intellexit) *& Sapor in Mixtis.* Recti judicij Logicus, quomodo in hujus sententiæ resolutione procedendum sit, facilè videat.

Quodcunque est destitutum Sulphure & Sale, id non habet qualitates prædominantes virtutesque Corporum, à quibus est elicitum:
Aquæ simplices Vegetabilium, sunt destitutæ Sulphure & Sale:
Ergo Aquæ simplices Vegetabilium, non habent: &c.

Minor Propositio ita probatur.

Destillata

Destillata alba & insipida destituuntur Sulphure & Sale Vegetabilium:
Aquæ simplices Vegetabilium sunt Destillata alba & insipida:
Ergo Aquæ simplices Vegetabilium destituuntur Sulphure & Sale Vegetabilium.

Porrò ex hisce verbis: *A quibus tum Virtutes tum Calor & Sapor in Mixtis:* ex hisce inquam, Propositiones Majores utriusque Syllogismi rursus probari possunt: Sed hoc nihil ad rem facit, quum tibi tantum ad absurdum deducere Majorem Syllogismi posterioris sit propositum, quod, quam egregiè facias, videbimus. Neque piget me adscribere tua ipsius verba, ut admirandum tuum acumen Logicum quivis sentiat & videat: *Ratio quæ assignatur,* inquis, *mihi non placet.* Quare autem? *Ais, quia albæ sunt & insipidæ, igitur carent Sulphure & Sale, abs quibus Color, Sapor.* Hic jam liceat videre Camelum saltantem! *Audi, si albedo in caussa aut saltem argumento est, quod Aqua destituatur suæ herbæ viribus, jam easdem etiam nullus Sal retinebit. Omnes siquidem Sales Vegetabilium albicant & sunt lucidi: Urges insipiditatem: Da tu mihi aliquem in mundo Salem, qui sapore referat suam Plantam. Ergo ne eo nomine omnes damnandi? Scias velim (neq; credo, te id nescire)* egregios

egregios Chymicos postquam Aquam è Plantâ eduxerunt, superstites faeces urendo in cinerem vertere. & Salem ex iis exuere, quem post Aquae distillatae adjungunt. Hic omnis Salis vis deponitur in aquam propriam: Itaque non omnis Aqua destillata caret vel Sale vel viribus sui Corporis. Quid dicam vel quid non dicam? Major propositio Syllogismi posterioris haec erat,

Destillata alba & insipida destituuntur Sulphure & Sale Vegetabilium:

Hanc ipsam mirificus noster disputator ad absurdum deducere vult, subsumitque, ut ex loco allegato liquidissimò patet.

Primò. Omnes Sales Vegetabilium albicant & sunt lucidi:
Ergo omnes Sales Vegetabilium destituuntur herbae suae viribus.
Secundò. Nullus in mundo Sal sapore refert suam Plantam:
Ergo omnes erunt damnandi.
Tertiò. Aquae simplices destillatae, quibus adjunctum est Sal ex herba sua extractum, sunt albae:
Ergo non omnis Aqua distillata caret vel Sale, vel viribus sui corporis.
Credo equidem, si caces in aquas continebunt etiam merdam.

Nihil

Nihil hîc aliud reſpondeo, quam ridiculum te eſſe, qui aliorum bonas ac veras ſententias velis ad abſurdum deducere, neq́ue prius tuorum, quibus id efficere tentes, Syllogiſmorum *numerare Terminos*, quos vides tam largè liberaliterq́ue in unumquemque Syllogiſmorum tuorum te contuliſſe, ut propemodum quiſq́ue tot contineat terminos, quot voces. Pudet me tam puerilis aſyllogiſtias, in quâ neq́ue caput neq́ue pes uni formæ reddi poteſt.

De contradictione verò age quid muſſitas?

Propoſitiones duæ ſunt:

Aquæ ſimplices Vegetabilium deſtituuntur Sulphure.

Aquæ Vegetabilium odoratæ non deſtituuntur Sulphure.

Agnoſco quidem has eſſe Salæ: Sed nego eſſe Contradictorias. Nec enim ſunt AD IDEM. Aquæ enim odoratæ non ſunt Aquæ ſimplices, ut ſupra eſt explicatum.

Deniq́ue ubinam damnat Aquas Aphoriſmus? Monſtra hoc, ſi vir es? Dicit tantum eas non deberi uſurpari, quaſi totam Plantæ eſſentiam exhauſerint, quam totam

neque

neque Sulphur ſolum, neque Sal poſſidet, nedum ut Aquæ. Extracta vero quoniam Sulphur & Sal conjuncta contineant, quid impedit, quo minus totam Plantæ eſſentiam in ſe cohibere dicantur? Nam, quod tu ex *Aphoriſ. 1.* cornicaris, nihil te juvat. Illo Aphoriſmo Sala impugnat exiſtentiam & poſſibilitatem Menſtrui Univerſalis. Negat dari unum aliquod Menſtruum, quod omnia Corpora queat ſolvere. Alia enim Menſtrua ſalinæ naturæ eſſe oportere, alia Sulphureæ, alia Mercurialis: Quid hinc concludis? Ergo non dantur Menſtrua particularia, huic vel illi corpori ſolvendo, & extrahendis puris partibus idonea? Profectô ſi ita argueris, nihilo ſolidiùs id feceris reliquis tuis nugamentis.

XXIII. BALSAMA.

IN ijs quæ de Balſamis prolixè commentaris, hoc ſolummodo ad Salam ſpectat, ut quando tu dicis, eum ſtatuere, ad externos *duntaxat* uſus vehiculo unguentoſo eſſe miſcenda Olea ſtillatitia: Dicamus hoc te non bonâ fide dicere: Quod ſi de tuo particulam illam excluſivam inſerſiſti: Quis tibi neget eſſe ingenium? Etiam intus aſſumendis Oleis vehiculum addendum

esse, Aphorismus expressissimè prodit: quod vidisses, si conspicillum adhibuisses.

XXIV. *Anodyna ex Mineralibus.*

PRæcedenti Animadversione tam prodigè recensuisti Salæ opinionem, ut de tuo etiam aliquid in medium liberaliter contuleris: Hic vero tam parcè Aphorismi verba nobis admetiris, ut quantum illic negocij facessitum sit, ad expungendum superfluum, tantùm hic ad supplendum, quod omisisti. *Aphoris. 39.* ait: *Nihil reperiri in Mineralibus præditum qualitate somniferâ atque anodynâ:* Adde verò, quod ipse Aphorismus tibi expressissimè suggerit: SPECIFICA. Vis in hac voculâ totius resolutionis. Facultatem illam seu vim Opiaticam in Extracto illo seu Magisterio Vitriolato supra diximus, non esse à Vitriolo præcisè, sed à certâ conjunctione Vitrioli cum Spiritu Vini: uno verbo à Magisterio, quâ Magisterio. Facultates autem à Magisterio oriundas Sala contradistinguit Specificis, secutus in eo Paracelsum, cujus verba *ex 6. Archidox.* adscribemus: Jhre krafft vnd Tugendt/ die sie (intellige Magisteria) haben/ kombt nicht auß

der Natur angehender würckung / auch nicht auß der Specificâ, in solcher gestalt; Sonder / durch die vermischung. Virtutes ergo à Magisterio seu Conjunctione simpliciter profluentes contradistinguit Paracelsus Specificis: ex quo ita argumentor.

Quodcunque habet à Magisterio, quâ Magisterio, quod sit Anodynum, illud non est præditum qualitate anodynà SPECIFICA:

At Anodynum Vitrioli habet à Magisterio, quâ Magisterio, quod sit anodynum.

Ergo Anodynum Vitrioli non est præditum qualitate anodyna SPECIFICA.

CONCLVSIO.

NVNC, quia tu ita vis, ego quoque desino, Eruditissime Domine Censor. Quo tu animo hasce tuas Animadversiones consarcinaris, id in confesso est. Libertatem Philosophicam prætendis: sed eâ abusus plus contentionis, quam veritatis studio indulsisti, securus, quid

quomodo impugnares, dummodo pugnares. Ideoque frivolis argumentis, Syllogiſmis non Syllogiſmis, Aphoriſmos eoſque ſæpe non intellectos, hinc inde laceras, diſtorques, mutilas, ſophiſticationibus infinitis coinquinas: Et tamen hoc vis ingenuo ſpiritu, liberoque ab omni ambitione animo abs te factum nos exiſtimare? Profectò Caput Meduſæ non adduxit nos in ſaxeum ſtuporem. Ac de famâ quidem ſuâ per te valdè ſecurus eſt Sala: tu potius tuæ ipſius exiſtimationi vel parcere debueras, vel conſulere rectiùs, quam tot futilibus Animadverſionibus videris non leviter proſtituiſſe. Solidiora niſi adtuleris, ſalva equidem res fuerit. Et quid tu de Vitijs garris? Debebas ipſum te noſſe: vidiſſes quorum alios reos agis, eorum temetipſum eſſe conviĉtiſſimum. Mihi quoque cum perſonâ tua nihil quidquam fuit negocij, nec niſi cum vitijs tuis, quia ita voluiſti, ſum colluctatus. Impoſterum etiam non deſinet Sala Reipublicæ

publicæ Chymiatricæ pro ſuo virili inſervire, invitis vel omnibus, qui ſub ſuaviſſimo veritatis nomine, huic ipſi ferociter inſultant. Faciet hoc, nec laudis alienæ appetens, nec metuens multùm reprehenſionis.

FINIS.



III + 6

